# IOANNIS BASILIDIS MAGNI MOSCOVIAE Ducis vita,

*A*

*PAVLLO ODERBORNIO*

tribus libris conscripta.

AD

*HENRICVM IVLIVM EPISCOpum Halberstadensem, Brunonisuicanorum & Luneburgensium Ducem magnanimum & illustrissimum.*



BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:

*ANNO M. D. LXXXV.*

Est.
TRÜ Raamatukogu
5164

*REVERENDISSIMO*
*& Illustrißimo Principi & Domino, D. Henrico Iulio, Episcopo Halberstadensi, Brunsuicensi & Luneburgensi Duci magnanimo, Principi & Domino suo clementißimo*

Paullus Oderbornius SAL.

QVVM VITAM Ioannis Basilidis Magni Moscouiæ Ducis, efflagitantibus nobilißimis quibusdam viris, ij enim me ad id munus suscipiendum liberaliter inuitarant, ac demum cohortante ipso ac multa docente generoso Stanislao Nininsco, regiæ Cameræ Caunensis, Quæstore

ampliſsimo tribus libris abſoluiſſem, rectè me facturum exiſtimaui, illuſtriſsime & generoſiſſime Princeps & Domine, ſi eæ vigiliæ ſub tutela & celeberrimo nomine Celſitud. V. ederentur, vt vniuerſi planè mortales, qui in Celſitudine veſtra & ſereniſsimo patre veſtro exemplum optimorum, clementiſsimorum & prudentiſsimorum Principum vident, & admirantur, ſuppliciter vitam & regiam dignitatem Celſitudinem veſtrarum ſummo rerum omnium Domino commendare diſcerent, & ſcirent etiam, magnum adeò inter patriæ patres & tyrannos diſcrimen eſſe; vtque intelligeret Celſitudo veſtra, ſpectatam ardentemque virtutem Celſ. veſtræ & regiam indo-

indolem, innocentiam item, pie-
tatem & fidem, in remotiſsimis
orbis terrarum locis decantari.
Clariſsima per ſe & auguſta eſt
Celſit. veſtræ domus, vtpote in
qua Maximi aliquando Impera-
tores, inuictiſsimi reges, magna-
nimi in bello Duces, ſapientiſsi-
mi rerum Romanarum rectores
floruerint; perpetuam tamen
ſtabilemq; maximi Principis Iu-
lij virtute claritatem cœpit. Ille
enim ab excelſi flagrantisq; ani-
mi magnitudine in oculis fortiſ-
ſimarum totius Europæ natio-
num cum æterna laude ſua ſpe-
ctatur; & iam eam nominis fa-
mam auguſtiſsimæq; dignitatis
amplitudinem, factis illuſtribus
ſuis conſequutus eſt, vt ſecundiſ-
ſimo quodam fato in hanc lu-

cem instaurati seculi productus esse videatur ad bonarum litterarum amplissimum decus, quas litteras non ipse solum colit & magnifacit; sed & incomparabili præstantis iudicij eximiæque liberalitatis proposito Academiam Iuliam condidit, ad quam homines ex omnibus Europæ partibus cõfluunt, & quasi è sinu Celsit. vestrarum, & vestris ex fontibus ęternas animi opes hauriunt. Certè præclaro isto facto Princeps sapientissimus intelligi voluit opes prope vniuersas, principatus, affluentisq; fortunæ caducas & instabiles: liberaliũ verò litterarum & virtutis possessionem, non modò esse longè firmissimam, verum etiam in vsum omnis posteritatis maximè

diu-

diuturnam. Laudent ethnicorum libri Iulium Cæsarem quod rem Romanam imperio continuerit, quod annum & menses Sosigenis consilio adiutus emendauerit; quod barbaros populos viderit & vicerit; Nos econtra Cels. vestræ sereniſsimum patrem meritis ad cœlum laudibus feremus. Maiorum namque suorum Romanorum Imperatorum gentilitias laudes nō modo æqvauit, sed multò altius atque felicius ad virtutem prouolauit, conditaque Academia, non cum tribus aut duobus mensibus bellum gesit, sed barbariem profligauit, idolorumque etiam damnatos cultus vidit & vicit, reducta in regnum suum sincera pietate & religione. Igitur quan-

to Christianus princeps ethnico præstantior; quanto nobilissima litterarum studia crudelibus bellis optatiora; quanto salutifera veræ religionis possessio omnibus mundi bonis melior est; tanto ille honoratior, augustior & beatior est. O felicem illam & perbeatam gentem cui talis Princeps, Pater, mitis, placidus, prouidus & magnanimus, cœlestis Dei beneficio donatus est: O infelices verò istos populos, qui talem Tyrannum, malum, crudelem, efferum, violentum, qualem in Basilide conspicimus, tolerare coguntur.

Porro sicut in cursu veteres Græci lampada sequentibus dare erant soliti, ita clarissimum illud

illud rediuiuæ virtutis lumen, ab inuictiſsimis Celſitud. veſtrę maioribus acceptum, & à patre magnanimo per manus lætiſsima ſucceſsione traditum, Celſitudo veſtra non ſolum magis magisq; inflammare contendet, ſed & eam regiarum virtutem poſſeſſionem promotis finibus fortiter extendet, vt in Celſitudine veſtra effigiem laudatiſsimi Principis vniuerſi mortales olim admirentur, ſicut in Baſilide Tyranni truculentam ſpeciem æterna exſecratione deuouebunt. Ego donec fuero, vti nunc ſum, vtque officij ratio me facere admonet, in ſcripturæ ſacræ lectione, oratione, concionibus, propagandaque in his locis S. Euangelij doctrina oc-

cupatus, pro salute & incolumitate sereniſsimi Principis IVLII, & pro Celſit. veſtræ regia etiam dignitate, rerumque omnium optatiſsimo incremento, & denique pro illuſtri Academia IVLIA, in qua nobiliſsimarum diſciplinarum pulcherrimi flores rara felicitate à multis decerpuntur, precari DEVM non deſinam, ſi modo Celſitudo veſtra ea regia mente, qua tot admirabiles & diuinas virtutes colit, atque ea fide, qua hæc omnia ſcripſimus, hoc ingenij mei leuidenſe munus clementiſsimè ſuſceperit. Ille DEVS qui ſtat in medio Deorum & bonorum Principum, qui omnia terrarum ſola, ſtabili nutu ſuo gubernat, ille

ille animam & corpus, imperiumque & populos Celsitud. vestræ benè fortunet. Caunæ Lithuanorum Calend. Xbris. Anno 84.

IOHAN-

# IOANNIS BAsilidis Magni Moschouiæ Ducis vita,

## A PAVLLO ODERbornio conscripta.

## LIBER I.

NEMO VMQVAM ab vlla hominum memoria, ex his qui regia dignitate & summi imperij fastigio claruerunt, vel maiori crudelitate, vel insigniori libidine, Ioanne Basilide, aduersus ciues & exteros est vsus: quippe qui tot hominibus, qui potentia, virtute, atque opibus nitebantur, sine omni culpa & noxa occidione cæsis, ipse domi nulli gratus, & vix tolerabilis, ab ineunte statim ætate, ad summam rerum Moschicarum dominationem, tàm felici

felici, quàm inopinato euentu facilè peruenerit; ità vt hinc liquidò constet, Dei immortalis clementiam summam esse, qui adeò lento gradu ad pœnam procedit, tyrannosq; & Principes crudelissimos ita fert, vt felici passu per omnes fortunæ gradus decurrentes, in excelsam summi honoris sedem proruehantur, & aliquantò melius viuant quàm isti rerum humanarum rectores qui solidæ doctrinæ opinione celebriores sunt, qui sobrietatis, & castimoniæ laude ornatiores, qui vitæ modestia, innocentia, religione præclariores habentur. Certè si quid in me ingenij aut elaboratæ florentisq; facundiæ esset, quod sentio quam sit exiguum, crudelissimi & impijssimi hominis improba facinora litterarum monimentis ad posteritatem transmittere vellem. Illo enim nemo durius ciues oppressit, nemo atrociùs & fœdius hospites adflixit, nemo arridente fortuna aduersus subiectos superbior & immitior fuit, cuius studia plena immanissimæ inhumanitatis, truculentiæ, atque iniustitiæ, ita in Sarmatia, in mundo, totaq; Europa, atque Germania audiuntur, & damnantur, vt vbiq; terrarum nemo

sit,

sit, qui tyranno infernalium tortorum supplicia optare non videatur; à quo barbara vis, cædes, cruciatus, mors, fames, vastitas & dira malorum omnium incommoda generi humano allata sunt. Quoniam autem magni refert quomodo quis nascatur, & multò maximè, quibus rationibus & exemplis à teneris formetur & instituatur; videamus nunc barbarus ille noster, quibus maioribus prognatus, quibus opinionibus imbutus, quibus exemplis formatus domi sit. Quomodo enim credibile est eũ principem rectè tractaturum rem alienam, qui suæ domi, nequiter atque turpiter viuere consueuerit? Certè in imperio laus non est, nisi is, qui imperat, imperio dignus est.

Natus est Basilides in celeberrima vrbe Moschouia, quæ toti imperio dat nomen, ac inter Scythas & Russos summam obtinet claritatem. Nam huius ciuitatis Princeps vniuersæ Moschorum genti, præest, & latissimè dominatur: estque ex eorum Principum insignium numero, qui titulis superbire, & Cæsarum regumq; maiestatẽ præ se ferre consueuerunt.

Hunc

*Hunc maximum Scythiæ tractum Moſchouiam recentiores vocant, vel à Moſoch, vel à Mosqua flumine appellatione ſumpta. quamquam nec deſunt alij qui ad huius vocis defenſionem veterum ſententiam ex Argonautico carmine adducunt. Plinio autem & Ptolomæo hi populi Roxolani; Straboni Roxani dicuntur. qui quondam aduerſus Mithridatis Eupatoris Duces dimicarunt. Nunc Ruſſos & Moſchouitas dicimus, quorum imperium in Orientem & Occidentem, in Meridiem & Septentrionem longiſſimè extenditur. Sed quid vetat vniuerſæ regionis cõmemorationi vacare, vt documenta ſumere volentibus longæ inquiſitionis labor abſit, vtq; lector præcedentiũ cognitione imbutus, ex ſecuturis plus fructus & voluptatis habeat. Moſchorũ genti vrbs Moſchouia hoc nomen dedit, ipſa à paruo Moſqua fluuio in regione Thæverenſi nato ſic dicta. Hîc Ruſſorũ Imperator aulam & ſpecioſum domicilium habet. qui ſe Ruſſiæ, Vlodomiriæ, Nouogrodiæ, Moſchouiæ, Pleſcouiæ, Smolenſciæ, Thæveriæ, Iugariæ, Permiæ, Viatciæ, Bulgariæ, Caſaniæ, Aſtracaniæ, Cernihouiæ, Rezaniæ, Vologdiæ, Ruſſiniæ, Billoiæ, Roſtoviæ-*

*Iaros*

Iaroslauiæ, Bielo ſoriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, Seueriæq; magnum Principem & Dominum appellat. Orienti obuertitur Vlodomiria, à Vlodomiro Ruſſorum olim Principe nomen ſortita. In hac regione ciuitas eſt 36. mill. à Moſchouia diſtans, in qua gentis Dominus aliquando conſedit. Nouogrodiæ inferioris titulum à lignea ciuitate aſſumpſit, quæ ad Volgæ & Occæ fl. confluentem ſita, arce murata inſignis habetur, quam & Baſilidis pater Baſilius contrà Ceremiſſorum impreſſiones condidiſſe dicitur. Sunt autem Ceremiſſi homines barbari & Chriſtianæ religionis indefeſſi hoſtes, qui ſectam Mahometis colunt, quibus fide & moribus vicini Mordui Moſchorum ſceptro parent. Præ cæteris autem Rezanenſem Prouinciam negociantes commendare ſolent. Ea enim & agrorum fertilitate, & rerum aliarum prouentu nobiliſſimarumq; ferarum copia excellit. Rezania ciuitas quæ Prouinciæ nomen indidit, inter Tanaim & Occam ſita eſt, de quibus fluuijs longè maximis quædam dicenda erunt. Occa non procul à Meſceneco oritur, lautiſſimorum piſcium ferax eſt, & campos, quos irrigat, fertiliſſimos facere putatur.

fertilis

*tatur. Vorotiniam autem, Cerpacum, Corſyram, Columnam, Rezaniam, Collugã, Caſinogorodiam, Muriniamq; alluit, inde curſu ad ſeptentrionem reflexo infrà Nouogrodiam inferiorem Volgæ miſcetur. Effundit Semum & Soſnam, ex quibus Semus primò in meridiem profluens & mox curſu in Orientem conuerſo Seuerienſem Ducatum præterit, oppidoq; Potiuolo ſalutato non procul à Cernihoua Deisnam bibit. Soſna recto curſu in Tanaim deſcendit. Sed de Tanai veterum & recentiorum opiniones variant. Nonnulli eum ex Riphæorum montium iugis oriri ſcripſerunt, ſed id Herodotus & recentiores negant, nec enim verum eſt. Nam non procul à Tula ciuitate ex ingenti lacu Iuanoſero naſcitur, & fratrem habet Schadum. Hic verſus Orientem currens Huppæ etiam vndas haurit, & deinde celeribus rotis in Occam ſeſe deuoluit. Ille Orienti primum obuerſus emenſiſq; Caſanenſium & Aſtracanorum deſertis, tandem Septentrionem Meridiemq; reſpicit, & mox Temerindam ſiue Mæotidis paludem plenis paſſibus intrat. Moſchi Tanaim Dononem vocant. Alius quinetiam eiuſdem nominis*

*fluuius*

*fluuius in Ducatu Seuerienſi oritur, qui ſupra Azophum in Tanaim defertur. Diximus de Rezania. Iam ſi à Moſchouia in meridiem dextrorſum proficiſcare, Seuerienſis ſeſe Ducatus oſtendit, qui à Doryſthene ad Meſenecum oppidum longè lateq; extenditur, & denſiſſimis ferarum ſyluis notus eſt. Poſſedere hanc terram per multa ſecula Lithuanorum Duces, poſteà Iagellone Chriſtiana religione imbuto Polonis paruit. Principante autem Caſimiro ſpontanea defectione Seuerienſes ſub Ruſſorum dominationem conceſſére. Oppida in hoc tractu multa ſunt & opulenta, Nouogrodum puta, Siuerſcum, Starodubum, Potiuolum, Cernihouum & Branſium. Quid quod & Smolenſciæ dominatus barbari Principis titulos auget? Prodidit hoc oppidum Micaël Glinſcius. Ille enim cum Lithuaniæ Marſchallum Ioannem Zabrecinium per inſidias circumuentum contrucidaſſet, mortis metu in Moſchouiam profugit. Baſilius autem ſæpe Smolenſcum oppugnauerat, ſed nouercante belli fortuna nihil erat effectum. Tandem bellicoſum exſulem nactus exercitum ei tradit, & Smolenſco bellum inferre iubet. Clinſcius exſecrabili audacia contrà*

patriam pugnaturus magno rem animo aggressus est, & ciuitatem ingentibus copijs obsedit. Cùm verò nec vehementi oppugnatione nec terribili tormentorum vi & apparatu quidquam profecisset, ad dolos & machinas argenteas confugit, præsidioq; effusissima largitione corrupto haud difficulter oppido præduite & celeberrimo potitus est, quod in hunc vsq; diem sub Moschorum imperio permansit. Interiecto deinde tempore, quasi clades alternante fortuna Moschi insignem apud hoc oppidum à Polonis plagam accepère. Constantinus enim Ostrogius supa octoginta Moschorum millia in hoc districtu occidit. Alluit Smolenscum Nieprus fluuius veteribus Borysthenes dictus, qui in Moschouia ad pagum Dnieperscum fontes habet. Recentiores Dnyeprum Borysthenem esse negant, Berezynamq; ab æstuo occasu in Nieprum influentem pro Borysthene habendum censent. Cæterum Borysthenes meridiem primò respiciens Vietmaam salutat, posteà cursu in orientem conuerso Drohobusum, Smolenscum, Orscham, Dubrouam, Mohilouamq; præterit, tandem meridiei obuersus Kioviam vrbem alluit, atq; inde

per

per deserta Tattarorum ad Precopienses delatus, in Pontum Euxinum, qui Axenos veteribus fuit, multis fluminibus receptis immergitur. Ventum nunc est ad Billoiæ Ducatum, qui tamen tantæ amplitudinis non est, vt longa commemoratione sit opus. Ipsa ciuitas Billoia vel Biela ad Obscham fluuium condita videtur, quæ & proprios aliquando regulos habuit, quorum stirps in Basilio defecit, & Moschi populum Principe carentem statim armis aggressi, sui eum iuris fecerunt. Reschouiæ districtum celeberrimus VOLGA fl. clarum facit, de quo silentium præstare omninò non licet. Ille enim non tantum ipsam passim Moschouiam, sed & Casanensium & Astracanorum regna sinuosis cursibus pererrat, & septuaginta secum flumina trahens in maris Caspij fauces defertur. Hunc Ptolemæus Rhaum, Tattari Edellum vocant. In sylua autem Volcoscilesia profunda palus est, ex qua amnis emergit qui in lacum Volgonem effunditur: ità Volgo plurimorum fluminum commissione auctus nobilissimo Volgæ fluuio originem dedit. Ad cuius ripas Thwerum quoq; oppidum videtur, loci felicitate & Thwerzo flu-

mine, monetaq; argentea quam cudit, nequa quam incelebre. Porrò Nouogrodiæ magnæ Ducatus tantæ olim potentiæ fuit, vt sola appellatione exteros terreret. Tritum enim apud Saxones verbum est; Quis contra Deos & magnam Nouogradiam? Ruricum Varegum hic habitasse ferunt, cuius nepotes Lithuaniæ, Finlandiæ, Sueciæq; & Noruagiæ imperarunt. In ipsam ciuitatem, quæ magnitudine ingens est, Volschovi amnis brachia extenduntur. Peraui, hoc est, Dei fulminantis idolum hic quondam cultum fuit, cui in vrbe perpetui ignes seruabantur. Tandem Basilius cum Theophilo vrbis præsule bellum gerens exercitum eius deleuit, omnemq; eam ditionem sui iuris fecit. Russæ oppidum vetustissimũ est, cuius ciuibus flumen salsum Neptunus dedit, ex quo deductis in domos canalibus sal coquunt. Pleschouiam Stephani regis bellum clariorem fecit, ea à suis aliquando Principibus dominata Sacerdotum proditione in Basilij potestatem venit, qui statim euersa republica veros ciues per vim eiecit, eosq; vinculis constrictos in Moschouiam relegauit, substitutis in eorum locum Moschis quos fideliores futuros arbi-

arbitrabatur. Vrbs ipsa ædium magnificentia, ciuium frequentia diuitiarumq; abundantia celebris est, muris quoq; fortissimis cincta & adspectu iucundissima. Dina Prouincia Septentrionalior est, cui Dina fluuius, ex Iugæ & Sucanæ amnibus ortus, appellationem dedit; Extenditur hæc regio ad centum milliaria Germanica, sed munitionibus valde vacua est. Ad Iugæ autem ostia quondam ciuitas Istijuga fuit, à qua Prouincia meridiem versus sita, nomen habet. Hi populi Nouogrodianis aliquando tributum pependere; panis vsum non valde curant, piscibus fumo duratis & ferarum carne contenti. VOLOGDAM inter Orientem & Septentrionem ponunt, eamq; opacis syluis & solo vliginoso infamem esse perhibent, cui fluuius VOLOGDA nomen indidit. BIELOSORVS lacus longitud. & latitud. ad tria decemq; milliaria extensus, gremio suo fluuios tringinta sex excipit, solo tantum SOSNA in Volgæ fauces emisso. In medijs vndis arx est munitissima, quæ hactenus contra omnes maximorum bellorum impetus inuicta stetit, in ea

etiam thesauri Principis asseruantur. SINAVS VAREGVS hîc olim consedit, cuius tum Germani fratres Plescouiæ & Nouogrodiæ imperium tenebant. RAROSLAVIA insignis ciuitas est, ad Volgæ ripas condita; ea multis annis suis Principibus paruit, quorum dominationem Ioan. Basilides ad se rapuit, simili perfidia erga RESTOVIENSES vsus, quorum vltimum proditionis falsò insimulatum membratim discerpsit. Rostouia archipræsulem habet, nec procul inde Chlopigrodum distat, nundinarum frequentia celeberrimum. Gothi enim, Liuones, Russi, Scythæ & Lithuani mercaturæ faciendæ gratiâ quotannis huc confluunt. SVSDALIAE ducatus vti quondam nobilis fuit; ità nunc in summas angustias est redactus. Basilius enim adfines suos, Susdalienſium Dominos, quorum fortunam & famam ferre prorsus non poterat, in alienam terram exsulatum eiecit. VIATCAM olim Tattari possederunt, ea palustris est & aquis irrigua, mellis etiam ferarumq; prouentu & piscium copia cum felicissimis quibusq; Prouincijs comparanda. Fluuius Viatca qui regionem nomina-

minauit, in Camam sese exonerat, apud cuius ostia Ceremissi crudeles populi latrocinantur.

Permienses à PERMIA dicuntur, quæ ciuitas ad VISCORAE fl. ripas iacet. Incolæ regionis propane ferarum carnibus vtuntur, & idioma à Rutenico diuersum habent. Hyeme peregrè profecturi calceos ligneos oblongos pedibus inducunt, & baculo deinde vel hasta suffulti rapidissimo cursu per inuia & niues feruntur. Ex IVGARIA ad septentrionalem Oceanum sita Vngaros prodijsse autumant. Ii enim cum longo tempore ad paludes Mæotidis consedissent, loci sterilitate, vt credibile est, offenst, ad Danubij ripas commigrarunt, occupataq; Pannonia, eam suo de nomine Iugariam primùm, & postea litteris paullulùm immutatis Vngariam appellauerunt. Et Iugrij quidem in hodiernum diem idem cum Vngaris idioma vsurpant. Longissimo autem in Septentrionalem plagam tractu PETZORA extenditur, à Petzora fluuio, qui glaciali Oceano miscetur, sic appellata. ex hac regione Falcones albi, venationibus regum vtilissimi, pro tributo Moschorum Principi adferuntur.

tur. OBDORII ab Obbo amne nominantur, qui ex lacu Citaisco ortus ab Oriente in Septentrionem labitur. His VOGVLICI & Hugrij vicini & Moschis subiecti sunt; à quibus aureæ anus idolum sanctè colitur, quod oraculi Delphici instar futura quærentibus respondere solet. Condoria Obdoria ferè coniuncta perpetuo gelu & inuijs nemoribus damnata est. LVCOMORII in speluncis ferarum & solitudinibus degunt, & sunt nonnulli, qui eos hirundinū more intermori & reuiuiscere aiunt, quæ quidem fabula magis quam vero propior est. Post illos LOPPI barbariè & sagittandi peritia celebres sunt. Horum regio omniū frigidissima putatur esse. Solstitij æstualis tempore quadraginta dieb. noctibusq; solem vident. Sed ab his ad populos meridium orientémque versus habitantes properandum est. Ceremissi, de quibus supra, Mordouotes & Vashines inter Viatcam Vologdamq; solitudines incolunt. Illorum feminæ sagittando viris habentur pares. Mordui longissimo ad Volgam tractu sedent, qui vicinitate & animorum coniunctione gaudentes pagos condiderunt, &

& agros diligenter colunt, viri alioqui immanes & strenui, qui & ipsi secta Mahometis vtuntur, & tamen hostilibus semper odijs cum Tattaris dissident, earumq; impressiones magnanimo semper conatu propulsant. His admixti sunt Ceremissi alij quos montanos appellant, eo quod ad vastissimorum montium radices plerumq; commorantur sine ministerio ciuili, sine veste cui incubent, vt à primis annis duritiæ, parsimoniæq; assuescant.

Sed missos nunc faciamus difficiles vastissimarum regionum labyrinthos, & telam, quæ cœpta est, contexamus. BASILIDI pater fuit BASILIVS, qui anteà Gabrielis nomen tulerat, vir magna crudelitate, & græca fraude potius quàm ad apertis sensibus insignis, apud quem nec cupiditas, nec augendæ dominationis studium vllo modo terminabantur. Itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari iure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi, blandus pariter & insidiosus alloquio: amicitias vtilitate, non autem

fide

fide colebat. Gratiam fingere in capitalis odio, instruere inter concordes odia, & tandem vtrumq; de medio tollere, solennis illi consuetudo. Tyrannidem in suos prius quam in exteros auspicatus est, fratresq; Germanos Georgium & Andream in vinculis habuit, quos velut æmulos imperij, hortatoresq; ciuium ad diuisionem regni tollere gestiebat. Sed dissimulatum animum prius ad fauorem popularium conciliandum intendit, excusatius facturus quod statuerat, si probatus antè omnibus foret. Cognatos fratrum falsò ad populum accusauit, adfines interfecit, vt quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortij relinqueretur. Viros Principes per Moschouiam aut generis splendore, aut opibus potentes partim aperta vi partim insidijs circumuenit, eosq;, ne regiæ dignitatis æmulos haberet, vel occidit, vel exterres in alienas terras eiecit. Exemplum flagitij singulare, rex ordinis sui persecutor, fratrumq; frater proditor. Malarum in eo artium, bellicarumq; etiam rerum peritia singularis fuit, longo vsu, & varijs vtriusq; fortunæ experimentis comparata: Super hæc vigebat in eo crudelis authoritas

&

& vis imperij ad explicanda finiendaq; contilia, magnumq; semper auri pondus ad proditionem vrbium comparatum in castris habebat. Quas ob res corruptis largitionibus hominum animis feliciter interdum bella conficiebat. Nam & apud Smolenscum prius pecunia hostes, quàm armis vicit, ergà Plescouienses & Nouogrodios consimili fraude vsus. Et Plescouienses quidem passi sunt inter plurima mala etiam ciuilem discordiam, siquidem cum plebs nouas tabulas & diuisionem agrorum diuitum impotenter flagitaret, diu re in ciuitate tractata, cum exitus tumultuum non inueniretur, ad postremum præsules & sacerdotes ciuitatis aduersus plebem nimio ocio lasciuientem, auxilia à Liuonienſium Magistro, mox ab Nouogrodianis petiuére. vtrisq; negantibus, ad Basilium, quem ipsi hactenus oppugnauerant, decurrunt. Tanta discordium insania fuit, vt quem semper hostem habuerant, eum ad tutelam patriæ vocarent. Erat Basilius vir fastu ingenti præditus, vt ijs accidit, qui in secundis fortunæ flatibus facile contumescunt; iamq; calamitate vicinorum insolentior & facinorosior redditus,

tus, & dissensionem ciuium, occasionem inuadendæ dominationis existimans, primò tacitè cum præsule ciuitatis per internuncios & munera agit, & inita societate paciscitur, vt prodita vrbe profectus eius constitueretur. Posteà insidias, quas ciuibus parauerat, in ipsum præsulem vertit. Namq; cum velut arbiter ciuilis discordiæ, exercitum vrbi admouisset, statuto tempore quo de componenda pace cum præsule loqueretur, ipsum cum Sacerdotibus alijs cœpit, captumq; & vinculis constrictum in Moschouiam misit, atq; vt in illo subitum se ex amico fecit hostem, Sic ex optato rerum successu repentè crudelior euasit, & aduersus inuidos potentiæ suæ, à quibus aliquando vexatus armis, per quas sæpe repulsus fuerat, non solum gladios distrinxit; verumetiam nefandissima quæq; tyrannicæ crudelitatis exercuit, ciuesq; in seruitutem cum coniugibus, & liberis tradidit. Nouogrodij ab eius patre iam olim subacti fuerant; eo autem tempore in spem libertatis erecti, & præsulis Theophili flagrantissimis concionibus incitati, armis patriam defendere & prælio decertare statuerunt. Profectus est contrà

eos

eos Basilius, qui armis, munitionibus, & de-
nique ingenti tormentorum adparatu ciuita-
tem vehementer conterruit. Is impetus vt
repentinus nec expectatus, summos, infi-
mosque & sacratos quoq; homines ad arma ex-
ciuit. Sed Dimicatum est à ciuibus nullo
ordine, quum inopinati hostes & despera-
tio ipsa conturbatis hominibus omnem con-
silij & disciplinæ rationem penitus eripe-
rent: Adeo vt Moschi felici audacia pro-
gressi, stratis ciuibus, nobilissimisq; duci-
bus aliquot interfectis, ipsoq; etiam Theo-
philo præsule, qui impigrè perturbatam
suorum aciem reparare contenderat, multis
telorum ictibus penè oppresso, intra mœnia
hostium consistere quiescereq; minimè dubi-
tauerint. Ita vexatis in vicino vrbibus, Ba-
silius ad exteros insidiarum & fraudum
machinas conuertit, cum quibus fidem san-
ctè nunquam coluit. Ad Carolum & Ferdi-
nandum Cæss. Germanos auaritiæ potius
quam animi propensione ductus, legatos in
Hispaniam & Germaniam misit. Præcipuè
autem permagna promissi fideiq; vanitate
erga Dinos Poloniæ reges est vsus: quibus
non semel pace suscepta, ac iurisiurandi
religione

religione ſancita, ad tranquillitatis fiduciã adductis, & contrà barbaros nominiq; Chriſtiano infeſtos populos bella gerentibus, fidem impiè fregit; Pacta omnia violauit, & redintegrato bello, vel à neceſſaria eos contrà ethnicos defenſione, vel pulcerrimis pro repub. Chriſtiana cœptis reuocauit, & obſiſtere ſuis iniurijs coëgit. Contrà ſolos Caſanenſes Tattaros fallax tyrannus infeliciter dolos exercuit. Cum enim oblata præclariſſima occaſione in ſumma ſpe ingentis victoriæ Machomedeminem Caſſanenſium Principem ob concitatam rebellionem armis mulctare ſtatuiſſet, fraude, pecunia, viriſq; inſtructus florentiſſimas copias in expeditionem duxit. Ciues abeuntem circumſiſtebant, ſuadebantq; ne ſe temerè infidis barbaris committere vellet, ſed in tuto alienæ inſaniæ exitum ſpectaret: non eſſe eò progrediendũ, vnde nullus omninò regreſſus ſine periculoſiſſimi prælij alea præberetur; ſatis enim rectè ipſum omninò facturum, ſi cunctando hoſti aliquem in finibus ſubſiſtens terrorem incuteret. Alij econtrà eundum eſſe cenſebant, neq; enim de euentu dubitandum, ſi Baſilius iam tot populorum victor,

victor, tantis lectissimorum peditum equi-
tumq; copijs instructus nulla maiore inter-
posita mora aperto in campo & vera virtute
dimicaret. Machmedemini auxilio ve-
nerant Ceremissi, viri acres & bellatores
impigri, & ipse postquam effectus esset Im-
perator, non iam vanis vel suspitionis vel ti-
moris offendiculis animum cruciandum pu-
tabat, sed gloria & laude incensus, grauis-
simi muneris nomen vera virtutis operibus
sustentare cupiebat. Proinde hortabatur
omnes, vt patriæ sibiq; dignam Tattarico no-
mine operam eo die præstarent, memoriaq;
tenerent Moschos iam anteà pulsos Tatta-
rorum armis, seq; inprimis infantem pue-
rum, perpetuis ab ea gente iniurijs acceptis,
multos annos frustrà pacem cupiuisse. Quid
cunctamur, inquit, commilitones, in hac pa-
rum decora deliberatione, quasi hostes no-
stros si in eos armis erumpamus, minimè si-
mus deleturi? Perrumpemus herclè & cun-
cta obuia sternemus, & ego præstabo me hu-
ius periculi principem, ne martem in mea
lingua potius quàm in dextra esse putetis.
Nec mora, circumstantes fermè omnes fer-
uidis & alacribus ingenijs sublata manu

*Principi fauent. Nam & omnibus suspecta erat Basilij potentia: siquidem subactis Casanensibus, vt credi par erat, cæteros pari insolentia vexaturus videretur. Igitur Machmedemines Casanensium Dux summus, longo sermone suos ad alacritatem cohortatus, terribili buccinæ signo faciendi prælij indicium dedit. Nec Basilio obtinendæ victoriæ auido, & per se impigro belli latori, animus consiliumq; defuit. Peritos namque Duces circumductis coaptatisq; tormentis, ordinibusq; veteranorum intrà fossas constitutis, ac expanso in recuruas alas equitatu ità irruentes hostes est complexus, vt illi intrepidè atque insolenter congressi, partim confixi Moschorum sagittis, partim tormentorum pilis discerpti, à fronte & à lateribus sternerentur. Tum Machmedemines veritus ne vniuersus exercitus absque vlla spe victoriæ deleretur, cum expedita parte Tattarici equitatus adcurrit, conglobatisque ordinibus & signis iterum erectis tanta fortitudine & patientia per aqua pariter ac iniqua depugnauit, vt nequaquam vlterius lacessendus videretur: temeritatem*

tem enim virtus æquauit, quando (vti præclarè ſpectatum eſt) nemo Tattarorum ferociam animi vel inclinata primò prælij fortuna amiſerit. Ità inopina vis fati humana virtute potentior Moſchos bellica laude florentes repentino ſæuoque turbine inuoluit & obruit. Caſtris enim & armis exſuti, rerumq; omnium tumultuoſiſſima conturbatione territi terga verterunt. Putabat namq; Baſilius eam infamiæ notam, quam tùm ſummo cum dolore animi ſubibat, aliquando in meliore pelli fortuna poſſe reſarciri, ſi vim imminentis tempeſtatis non omninò oppreſſus effugiſſet. Interiecto deinde tempore MENDLIGERVS rex Tauricæ filium Sapiregium Caſanenſibus magnoperè id potentibus Principem dedit, & iuuenis ab excelſo ingenio bellicæ laudis appetens, inſigniq; patris authoritate & vicinorum ſocietate & auxilijs ſubnixus, omnium ſuorum & patris maximè hortatu concitabatur ad promouenda arma. Dictitabant enim eum cuncta, quæ concupiſſet facillimè conſecuturum, & quas vellet impoſiturum leges Baſilio, ſi perterritis ſuperiori calamitate Moſchis

victoria vti vellet. His de causis sapiregium diuisis agminibus Moschouiam omnia ferro proterens petiuit. Cumq; ipsum Basilium in tributi pensionem iuuare coëgisset, agros nemine prohibente depopulatus est, domos incendit, fruges protriuit, abegit iumenta, homines cecidit, cæsorumq; capita lanceis suffixa ingenti cum terrore in hostico circumtulit. Incredibile dictu est vt eum non difficilia itinera, non arces hostium munitæ, non tela, non gladij, non denique professionis longinquitas à proposito detruserint, vt solus in patrio solo Moschos fugaret ac cæderet. Ad eum modum Basilius dum in hanc maximè curam incumbit vt sui imperij fines quàm longissimè extendat, non mediocre rerum suarum periculum adijt, barbarusq; barbarorum armis egregiè vexatus, penè de omni dignitatis gradu deiectus est. Nec enim raro ità fieri solet, vt Principes illi qui aliorum opes & felicitatem euertere conantur, ipsi in fœdam rerum omnium conturbationem incidant. Id intelligens ferocissimus ille Aiax seipsum ad modestiam aliquando excitabat, vt alios tyrannos doceret. Nos, inquit, Posthac scie-

mus

mus Dijs cedere, ac discemus Atridas venerari: Duces sunt, quare illis obtemperandum est. quid ni? nam & quæ firmissima ac potentissima sunt magistratibus cedere solent; faciunt hoc inuosæ hyemes; nam frugiferæ æstati cedunt: Cedit & noctis obscuræ circulus, cum lucida dies orbem illuminat: Et sæuorum nymborum flatus aliquando sopiunt frementem pontum, atq; ipse validus somnus nunc membra ligat, nunc eadem rursus dimittit. Cur igitur & nos non discamus esse modestiores? Sed Basilius Aiace peior & fastuosior vir erat suprà hominum fidem malis artibus instructus; Semper enim rapax, semper immanis & sæuus, vt dignitatem augeret, imperiumq; armis proferret, modò hunc modò alium principatu populorum & ampliſsimis fortunis exsuere consueuerat, haud dubiè in Tattaros viris atq; opibus insignes hæreditatis spe similiter sæuiturus, nisi admirabili Dei prouidentia exercitui suo interitum, supremam verò ciuibus infelici bello calamitatem attraxisset.

Talì patre Basilides natus, non honestiorem Pueritiam, quam principia originis habuit.

*buit. Si quidem ab ineunte statim ætate moribus & animo crudelis, quomodo reliquum vitæ tempus exacturus esset, facile demonstrauit. Annos deinde pubertatis egressus, cædibus & libidine patriam replenit, & omnibus pariter iniuriosus, vitam latrocinijs transegit. Dicamus nunc ouum ouo simile non esse, parentumq; scelera in filios propagari negemus. Certè enim si fortes creantur fortibus & bonis, si est in iuuencis, si est in equis patrum virtus, si nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam: deformes econtrà & enerues ammas ex imo gurgite turpitudinis oriri necesse est, & Basilides quidem Paternæ impietatis & iniustitiæ hæres vtroq; sexu famosus fuit. Maternum enim genus adeò pudibundũ habuit, vt multi eum dubia & incerta matre natum opinentur. Quippe Basilius pater (vt rem altius repetamus) cum antea turpi vita in stuprum & libidines procliuis iuuentam exegisset, adfinitatibus imperium firmaturus, legitimam coniugem in matrimonium recipere constituit. Erat tunc apud tyrannum Georgius Micrus è Græcia oriundus, vir ingenio liberali, eruditoq; præditus,*

ditus, & quo mortalium animi facile capiuntur, alienis moribus obsequentissimus, ità vt lectissimi totius aulæ proceres & nobiles eum obnixè colerent. Nam propter eximiam animi moderationem, rerumq; peritiã tàm carus omnibus erat, vt partam existimationem (cuius cura in exsule debet esse potissima) non tantum mirificè sustentaret, sed & indies eam abundè augeret. Is propter summã & inueteratam apud Principem authoritatem filiam illi suam nuptus dare peruolet, quæ admirabili venustate & oris habitu cæteras anteibat longissimè eoq; connubio ob singularem probitatem non indigna videbatur. Igitur suadebat Basilio ne exterorum principum adfinitates magnoperem expetere vellet, eos enim fide instabili & ingenti Spiritu ità plerunque elatos esse, vt nequaquam suas filias in barbaram regionem, qualem Moschouiam exsistiment, missuri videantur: Nouam quienetiam & peregrinam virginem nouos secum & peregrinos aduecturam mores, eamq; incredibili sumptu & effusis tantùm largitionibus obtineri posse. Iam si diuersam à Rutenorum ritibus sectam

& religionem secum ea adferat, incredibilem rerum omnium comutationem statim subsecuturam. Nam inter dissidentes de religione sinceram pacem nequaquam seruari posse; atq;, ex tali principio regnum Moschicum continuò in peius & interitum ruiturum. Proinde si rebus imperij sui populisq; subiectis consultum vellet, si dignitatem & pecuniam retinere, & quod pluris interest, si domi pacem habere cuperet, ex suorum ciuium potius quam peregrinum Principum familijs vxorem acciperet. Esse enim in Moschouia virgines cum Europæis formæ felicitate & animi vigore certantes. Hæc etteminati & eneruis animi virum amorumq; delitijs deditum vehementer angebant, quod aut remittenda foret splendidioris adfinitatis cupido, vnde nominis famam abundè tueretur, aut monitoribus tàm præclarè de se meritis obtemperandum. Itaq; rebus omnibus ad nuptias instructis, ne vnius Græci hominis eloquentia à proposito depelleretur, non inanes quoq; populariorum & Procerum suorum voces audire constituit, sumpturus consilium ex sententia vniuersorum.

Erat

*Erat enim Basilius sicuti natura crudelis & maximè fallax, ità in consilijs diuersus & parum constans; adeò vt in tota gerendarum rerum ratione, si primæ spes eum deficerent, in secundis minimè consisteret & reliquas omninò præproperè elapsuras arbitraretur. Conuocata concione & re diu tractata, decernitur in consilio ducendam esse ex ciuibus vxorem, abstinendumq; à peregrinis: De illis enim dubium adhuc & perplexum negotium esse dicebant, verebanturq; ne fortunâ spes conceptas eludente, ipse demum Princeps inter miseras promissorum ludificationes fortè deceptus repulsam ferre cogeretur. Is erat dissuadendi illius matrimonij prætextus. Hanc autem aliorum animis opinionem iniecerat ipse MICRVS ærario principis præfectus, ad quem summa consiliorum omnium è senatu respiciebant, quod cuperet efferre filiam suam, eamq; augere item opibus accessioneq; maximè regij connubij cæca ambitione studeret. Id consilium quamquam vtilitatis laudem ferre videretur, quod proceres patriæ commoda nequaquam negligenda censuissent; ipsi tamen Georgio vti sperauerat, magnopere non pro-*

fuit. Quoniam princeps rebus omnibus ad nuptias paratis, audiendis amplius aliorum sententijs minimè vacandum existimans, lectas ex tota regione nobilissimas virgines adesse iussit, ex quibus cunctis admirantibus SALOMEAM Ioannis Sapuri filiam, eximiæ venustatis virginem vxorem duxit. Nam fata quoq; quæ omni humana ratione vehementius impellunt, eum hauddubiè vel inuitum ad id matrimonium pertrahebant, quod esset abhorribili partu, & ab immani, cunctisq; propè gentibus funesta sobole nomen habiturum. Nam ex Salomea nonnulli Basilidem fatali quadā fœcunditate natum existimant. Eam Basilius totos viginti annos in matrimonio habuit, sed cum nulla spes suscipiendæ prolis appareret, princeps longa spe fessus & importuna sterilitate factus ferocior, inauspicatum coniugium felicioribus nuptijs permutare, Salomeamq; repudiare constituit. Adiuuit enim obstinati hominis insaniam intempestiuum gignendæ prolis desiderium, & in animum cæca libidine peruersum induxerat, se iteratis nuptijs hæredibus masculis hauddubiè, nequaquam relicto fratribus imperio, potiturum. Nec multò eo-

rò eorum Salomeam omni mundo muliebri preciosissimisq; insignium gemmarum monilibus per sacrorum Principem spoliauit, criminibusq; abscissis eam in monasteriorũ latebras ad Susdalienses migrare iussit. In ea constituta difficultate infelix femina, sese vltrò telis circumstantium obiectans, ne in tanta ignominiæ fœditate supereſſet, ab Ioanne Schygona principis ministro baculis cæsa est, quod liberius & petulantius quædam in dominum suum proloquuta videretur. Tunc illa præsentem maritum apud circumstantes criminari, & primò inuisum postea etiam suspectum cunctis reddere, nunc crudelitatem, nunc libidinem, nunc proditionem ei & furorem obiectare. Sed Basilius eam, seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis interficere ausus non fuit. Itaq; velut omnis calamitas in solo exilio esset, turpi latebra eam à suo conspectu & consuetudine excluſit. Discedens mulier quiritatu lachrymis funestam omnem regiam fecit, auitosq; lares et incunabula maiorum, templaq; ac Deorũ simulachra contestata est, se nunc insidijs & vi circumuentam indi-

indignissimis modis vexari: Sed viuere tamen superûm atque inferûm numina & regalas Deos, quos tantarum iniuriarum violatæq; regiæ maiestatis vindices futuros speret. ità explosa & derisa in monasterium Susdaliense introducta est, effuso obuiam populo, ac si sua regina, non captiua mulier aduentaret; nec coniugem principis Susdalienses auidius vidissent, quam exsulem & desertam fœminam viderunt. Interea Basilius nouas nuptias circumspiciebat, & assiduè dabat operam, vt magis ac magis potentibus in repub. sua viris iungeretur. Insuperandis inuidiæ difficultatibus, promerendisq; ciuium animis plurimum valebat Micaëlis. Linscij ingenium, qui singulari prudentia, viriliq; officio, nulli vnquam vel tenui rerum occasioni deerat, qua excitari Basilij nomen, & vetera hominum studia accendi posse viderentur. Natus hic erat in Lithuania splendidissimo genere, & in republica admodum potenti- Qui tametsi antea patriæ religionis & libertatis fuerat studiosus eximiaq; dignitate inter Proceres liberæ gentis versaretur: Semper tamen Moschicarum partium erat habitus. Accidebatq;

batq; propterea, vt quantò maiorem gratiam, apud mediocres infimosq; homines pararet conaretur; tanto ipse cum Basilio fratre apud nobiliores ciuium ordines viuidiore, & (vti postea præclarè docuit euentus) perniciosiore inuidia deflagraret. Adeò vt cum in senatu de bellicis ciuilibusq; negocijs ageretur, Magnates Lithuanæ aternæq; libertatis suæ studiosi contrarijs suffragijs illius semper consilio atque sententiæ obuiam irent, quasi ei ad eleuandam minuendamq; authoritatem conspiratione quadem illuderetur. Orta est deinde grauis simultas & controuersia inter Linscios & Marschallum Lithuaniæ Ioan. Zabrecinium, quem illi potentia & immoderata licentia militari feroces, insidijs circumuentum non procul à Grodna cum ministris aliquot interfecerunt, lectaq; seruorum iuuentute, cum nec facultas fugam, nec inopia remoraretur, cursum in Moschauiam ad Basilium direxere, tanta celeritate incitato ad festinandum seruitio, vt neq; viæ syluestres admodum lutulentæ, neq; inflati amnes, neq; fortissimæ in finibus Pithuanorum excubiæ quidquam impedirent, quo minus incolu-

mes

mes in optato loco sisterentur: quos vt profectos nunciatum est, non aliter quam si Lithuania capta esset omnes trepidauere, exitiosamq; sibi fugam eorum ominati sunt. nec ferocibus viris alta atq; ardua in gente barbara meditantibus fortuna defuit. Exsulantes enim velut Deorum munus in Moschouia excepti, tantusq; ex eorum aduentu ardor barbarorum animis accessit, vt non tàm de bello Polonis inferendo, quam de præmijs victoriæ cogitarent. Interiecto deinde tempore Basilius Micaelem ad expugnandum Smolensçum misit, ratus aut cessuram vrbem non multum muro validam magnis viribus oppugnanti, aut si hostes auxilio ire pergerent, ad futuram occasionem vniuersò prælio dimicandi, quam sibi cunctis artibus parandam arbitrabatur. Erat Linscius rebus omnibus instructissimus, tormentorumq; præsertim ad paratu, quæ non vti apud alias nationes tardissimis boum iugis, sed insuefactorum ac agilium equorum ceruicibus trahebantur. Habebat exercitum omni armorum ornatu conspicuum, ita ad patriam ciuitatem delatus, prolatis statim tormentis, tanta vi quassare mœnia est adortus

ortus, quanta maximè ab vllo alio duce, quæ interfuerant, vllibi factum fuisse meminisset. Dirutis namq; propugnaculis, & multis hostium in opere & defensione versantibus ad ingeminatos tormentorum ictus interfectis, triplici acie instructa murum subijt, tanta alacritate & contentione militum, vt quisq; ante alios efferendo sese progredi conaretur. Certatum itaq; aliquoties vehementissimè & crudelissimè. Non deerant enim sibi in tanto rerum discrimine Lithuani, qui ab idoneis locis tormenta maiora minoraq; incessanter emittebant, & è summis ruinis sulphureos saxaq; & ingentes trabes prouoluebant. ità Lincius cum detrimento repulsus, alia rem via aggressus est, & ab his infaustæ oppugnationis initijs ad fraudem & dolos confugit. Erat ille Dux eloquens, et summa authoritate maximè insignis, sed ob desertam & proditam patriã ciuibus valde exosus & terribilis, & quod spes ipsas & studia hostiũ vehementer debilitare solet, vir etiã in bello fortunatus ab omnibus habebatur. Igitur dũ in ciuitate vulgus in partes scinditur, & quid contrà eum hostem agendũ sit, varijs sententijs disputatur,

Linscius

Lincius præsidium & militem veteranum in quo præcipuum ciuitatis robur erat, donis & multâ pecuniâ corruptum in suas partes facilimè pertraxit. Tùm demum præfecti & cæteri duces vocato in concionem populo edisserere cæperunt, Iam videlicet prope ipsum ardentis prælij discrimen peruentum esse; iam satis magnam stragem equorum atq; hominum editam: Lincium rebus fermè omnibus superiorem, habere exercitum dimidio ampliorem & exercitatiorem, cui nulli milites stabili & campestri in acie pares futuri videantur. Non esse igitur fatali pertinacia cum fortuna diutius luctandum, quando pro comperto haberent Linscium militum suorum virtuti & armis & carrorum item munimentis confisum, nequaquam re infecta ab vrbe discessurum. Iam si qui sint qui obstinata insania exitiali repugnandi proposito deseruire malint, quiq; nihil tanta & miserabili hominum clade commoueantur, posse eos peditatum confestim in hostes educere, se quoq; cum vniuerso equitatu illaturos signa, atque ità disiunctos & in castris muniendis hærentes ac impeditos Moschos facile conciturus.

Sed

Sed Linſcium Ducem eſſe à generoſa militariq; ferocia valde terribilem, cui ſi fortuna & inprimis Dei voluntas victoriam donet, eos campos, in quos nunc ſint egreſſuri, & ab fœdo hominum interitu, & ab inuſitata, cunctisq; ſeculis memorabili & funeſta clade nomen habituros. Ad eam ducum orationem ciues vehementiſſimè conſternati, deditionem facere ſtatuerunt, & Linſcius, qui diutius in obſidione hærendum eſſe putauerat, opinione celerius oppido & arce potitus eſt. Eiectus deinde per vim Sarmatici generis ciuibus, barbaros Moſchos in poſſeſſionem miſit. Cumq; ad Baſiliũ eſſet reuerſus, ſtrenui quidem & fortunatiſſimi ducis nomen obtinuit, ſed tamen apud nobiliores gentis ordines tacita inuidia deflagravit. Erat enim valde onerosum, & moleſtiæ pariter odijq; pleniſſimum fortunati ducis in peregrino homine nomẽ. Ità proditionis inſimulatus in vincula conijcitur, & cuius paulò ante maxima & inſignis apud Principem fuerat authoritas, vnius horæ momento, magiſtratu, imperio, ac dignitate, penitus ſpoliatur. Fortem tamen virum iniquè cum calamitatibus collu-

clantem illa ipsa fortuna, quæ ancipiti vol-
ta res mortalium versare consueuit, velati
pudore adducta feliciter erexit. Factus
est enim insperato DEI beneficio Basilij
adfinis, qui post dimissam Salomeam, sicu-
ti memorauimus, Basilij Linscij filiam He-
lenam, præstantis formæ virginem matri-
monio sibi copulauit; ijs potissimum vt fe-
rebatur de caussis, quod Helenæ matrem ex
genere Petrouiciorum ab Vngaria ortam Ru-
tenicæ religioni addictam fuisse meminis-
set, & quod Micaëlis virtuti plurimum con-
fideret, quem filijs suis si quos isto ex ma-
trimonio susceperus esset, tutorem dare
omninò in animo habebat. Fratres enim
suos Georgium & Andream tyrannidem
aliquando invasuros arbitrabatur. Mica-
ël autem opportuno tempore ex captiuo li-
ber, ex libero Principis adfinis, & adfine
regiorum liberorum tutor appellatus, eum
honorem consecutus est, qui ad recuperan-
dam existimationem, & ad parandas opes,
& denique ad plenissimam rerum omnium
felicitatem, ianuam pandentibus fatis ape-
ruit. Impleuerat tùm fortè vterum Sa-
lemea, & iam rumor longè lateq; per omnem

Mosco-

Moschouiam volabat, eam indignissimis modis vexatam & à matrimonio Principis depulsam esse; quæ tamen plus in Deo quàm in marito spem ponens in cœnobio filium enixa sit, qui illatas matri iniurias, olim vidicaturus esse videatur.

His vocibus incensi omnes certatim rei veritatem confirmabant; ipsæ quinetiam aulicæ quædam feminæ non oculis tantùm hæc se vidisse, sed audisse etiam vagientem puerum dicebant. Insperatus ille nouæ prolis nuncius (vt est natura mortalium, quæ improuisis vehementius afficitur) Basilio incredibilem attulit conturbationem, simulq; virum prolis desiderio flagrantem magis ac magis accendit, vt explosis vanis sermonibus ad indagandam veritatem maiore adhibita diligentia properaret. Itaq; in senatu principis decernitur legationem ad Susdolienses esse mittendam, quæ Salomeæ fortunam, valetudinem, consilia, & nouum quem enixa esset partum specularetur. Legati fuerunt Theodorus Cachus & Potatus principi à secretis. his perductis in sanctissimum Susdaliense monasterium

veterrimæ Russorum religionis, Salomea, sumptis in manus altaribus, contingensq; ipsa simulachra, & puluinaria Diuorum, inauditis vltimisq; execrationibus adiurat, se sincera fide matrimonium Basilij coluisse, neq; in contumeliam eius se alium maritum, aliosue quàm filios eius liberos cupiuisse. quia autem periurio infidi mariti decepta, & in exsilium missa sit, eo miserior, quod mori statim non potuerit; Nunc tandem Deum immortalem, tot periuria & tàm crudeles vexationes vindicasse, se spe impletam & metu solutam filium peperisse, cuius vultus & blandientes oculos nunc quidem non sint visuri, sed venturum eum aliquando in conspectum ciuium suorum Legatis præ mœrore manabant lachrymæ, cum in fœmina exulante tantam religionis curam, tantumq; contempta morte veritatis studium inesse conspicerent. Illi ad suos & Principem reuersi, omnia in maius extollentes, constantiam pariter, & fortunam Solomeæ ostendunt; Natum illi filium elegantem esse, quem in hominum conspectum producere nequaquam velit, & quasi satis munimenti in religione habuerit, ità eam

omnia

omnia Principis mandata contempsisse. Ferunt Basilium hac relatione ad immanem ferociam & crudelitatem excitatum Salomeam ex cœnobio in durius exitium detrudere cupiuisse; sed consiliariorum quorundam monitu fuisse retardatum, qui viros religionem professos & sanctissima cœlestium Deorum templa temerè leuiq; de causa minimè esse inuadenda prædicebant. Igitur Princeps furorem ad innocentes quasdam fœminas conuertens, grauiter eas verbis verberibusq; mulctauit. Ipsa autem Salomea rebus supra vota fluentibus pacem nacta, paruulum educauit, omniq; studio ad spem maiestatis, quæ promittebatur, instituit. Et certè sunt non pauci, qui hunc Georgium Salomeæ filium ad imperij dignitatem neglectis alijs euectum, eiq; Basilidis nomen inditum esse adfirmare ausint: quod ipsum tamen si quis inficiari velit, ad Helenam Basilij Linscij filiam omninò respiciendum est, quam depulsa Salomea Basilius in matrimonium recepit. Ea si Ioannem hunc Basilidem & Georgium liberos habuisse putanda est, quorum tutor communibus suffragijs Micael Linscius ille electus fuit,

videbimus opinor, maternum illi genus æquè sordidum atq; inhonestum fuisse; Suolato enim è viuis Basilio Helena dehonestamentum generis sui facta est, quam assidua in lupanari compotationes, & cum adultero Iuano Oczuina quæsitus ad libidinem thorus magnopere defædarunt. Eo tempore summa consiliorum penes vnum Micaëlem Linscium omninò erant, ille de honore principum & sui generis infamia sollicitus, reprehendere viduam cœpit, per omnia sacra obtestando ne in exsecrabili: proposito persistere vellet: quando mox ab enormi aliqua turpitudine honestatis fines transgressæ pœnitentia simul atque infamia sempiterna laborandum foret. Sed hæc apud feminam venereis cupiditatibus deditam nihil valebant, & Micaël pro familiari admonitone odium sibi tantum apud viduam creabat, vt statim nuncios mitteret, qui denunciarent ei, abstineret à regno pupillorum postremis patris precibus fidei suæ traditorum.

Huic mandato cum Linscius fiducia adfinitatis & sanguinis confidentius aduersaretur, in suspicionem venit quasi Principes pue-

*pueros Polonis tradere, & tyrannidem occupare decreuisset, ad cuius rei probationem adultera immittit iudices, testes subornat, qui omnes accusationis veritatem confirmabant. Quibus rebus compulsi Proceres Micaëlem vti virum sanguinarium rerumq; nouarum authorem cum ignominia dignitate exsutum in carcerem compingunt, in quo animo pariter & corpore captiuus eaq; prorsus calamitate indignus mortis erubescendo genere consumptus est. Sed nec Helenæ inultum scelus fuit. Quippe reseruata à Deo immortali in certum diem impij flagitij pœna, breui post omnibus inusa, & insidijs circumuenta vitam veneno, vt meruerat, amisit. Iam enim perdito amore vulgatissimæ meretricis nomine in omni Moschouia infamis erat. Ipsum etiam Oczuinam, qui fœdis libidinibus miserabiles toti genti tenebras intulerat, ex fuga retractum & carnifici traditum Proceres auidis oculis in frusta diuectum spectare sustinuerunt. Tàm deterrimis libidinis, et nequitiæ sordibus IOANNIS BASILIDIS natiuitas imbuta fuit, qui persæpè in epistolis ad Poloniæ regem scriptis vanissimis generis*

*ſui deliramentis vſus, ſe à Pruſſo quodam nunquam inter mortalem viſo aut cognito (quem Octauij Cæſaris fratrem generis vero ſui authorem eſſe contendebat) propaginem quartam decimam eſſe impudentiſſimè adfirmare ſolebat. Incidit autem natiuitas eius in turbulentiſſimum Europæ ſtatum.*

*Sub id enim tempus Turcarum Imperator Belgrado, cum Danubium atque Sauum transiſſet, rectis itineribus in Vngariam venit ſuperatoq; martis certamine Ludouico, & eo in paludibus ſubmerſo, tantum finitimis regibus terrorem incuſſit, vt Leo Pontifex barbarorum potentiam in immenſum excreſcentem formidans Romæ ſupplicationes indiceret, ipſeq; inſigni concepta pietate diſcalceatus ad templum proficiſceretur, & reipub. Cæriſtianæ incolumitatem Deiparæ virginis commendaret. Inter Ioannem quoq; Sepuſium & Ferdinandum regem illud de Hungaria diſſidium ardebat, quo cum nobilitas omnis & ordines diuiderentur, bellum fuit exortum, Germanis ac finitimis populis funeſtum & exitiale. Nam Ioannem Turca ſuam in fidem recepit, & tradi-*

*tradita Buda regem eum constituit. Inter Gallum autem, Venetos & Pontificem fœdus tunc renouatum est, quo communibus omnium viribus Carolus Cæsar oppugnaretur. Cum enim vni ei ad maxima quæq; audenda incredibilis potentiæ facultates parari, & tot regna in vnum collata conspicerent, Galliæ pariter, Italiæq;, & Pontificio præsertim nomini non temerè periculū impendere existimabant. Sed Cæsar mulctato primùm Pontifice & Roma fœdè direpta, Gallis posteà bellum intulit valde atrox & maximè diuturnum, quo Europa propè omnis, diffuso latè incendio, per nouem annos deflagrauit. In his rerum Christianarum tumultibus natus Basilides non obscurum & ipse mortalibus omen dedit, quod scilicet maximarum turbarum & confusionum author futurus esset: & antiqui quoq; vatis carmina eum Principem non obscuris formæ ac ingenij lineamentis exprimere videbantur, qui propriæ patriæ, Liuoniæq; præsertim & Sarmatiæ summas clades esset allaturus. Puerilem ætatem sub tutoribus egit inter quos, sicut ostendimus, Micaël Linscius primas facilè obtinuit. Scri-*

*bunt tunc ſtatim in eo prodigioſæ naturæ indicia adparuiſſe, omneſq; pueri mores ſæuum quiddam & immane præ ſe tuliſſe, ità vt de illo nemo id dicere poſſet, quod de ſeipſo Iaſon dixit: Aio me adferre doctrinam Chironis: redeo enim ex antro à Choricle & Philyra, vbi me caſtæ Centauri filiæ educarunt, fuiq; ibi annos viginti, nec factum ibi nec dictum turpe locutus ſum. Sermo pueri fuit ſtolidus & monſtroſus, mores maligni & peruerſiſſimi, ex quibus Magnates gentis de ingenio & tota eius vita coniecturam facientes eum indito poculis veneno occidere ſtatuerunt, quando ab dira eius poteſtate & luctum & calamitatem vniuerſis mortalibus impendere præuiderent. Sed voluntas Dei, quæ humanis conſilijs non mutatur, Baſilidi auitam & paternam hæreditatem adeunti peroportunè fauit.*

*Anno enim ætatis vigeſimo ſecundo aut circiter imperio potitus tanta agreſtium ac popularium omnium gratulatione ac lætitia exceptus eſt, vt cuncti eius aduentum ſe vel fructuoſiſſimis meſſibus fertiliorem ſentire faterentur, vtpote qui ſenibus ac pueris puelliſq; in viam effuſis, ac ruſticæ*

*munera*

munera paſsim offerentibus, non modò pecuniam lagiſsima manu rependeret, ſed etiam appellando humaniter ac ſciſcitando, beneuolentiam præ ſe ferret admirabilem & ſingularem. Non autem diuturnum miſeris hoc gaudium fuit, Nam paullo poſt in ſummos ac infimos quacumq; & leui de cauſſa ita crudelitatem aſperè admodũ exercuit, vt ſontes pariter ac inſontes acerbiſsimis pœnis & cruciatibus vexaret; Quippe auaritia cœcus bonis ciues ſpoliabat: inq; libidinẽ, procliuis coniuges principum ad ſtuprum rapiebat, virgines ante nuptias vitiatas ſponſis reddebat: locupletes quoſq; aut ciuitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaq; eorum inuadebat. Remp. quidem vt poſtea dicemus, legibus ordinabat, ſed nihil eorum, quæ conſtituerat, ipſe faciebat: Iniuſtitia, libidinibus & furore maioribus ſuis longè ſuperior, ità vt omnia ea, quæ de peſsimo Principe Pollux ſcripta reliquit, de noſtro Baſilide commodiſsimè poſsimus interpretari. Fuit enim tyrannicus, crudelis, efferus, violentus, occupator alieni, auidus pecuniarum, rapax, populi deuorator, ſuperbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conueniendũ, durus ad congreſſum, incomis ad colloquium, malè ira-

iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum seruus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, iniustus, inconsultus, iniquus, impius, mente carens, leuis, inconstans, malè facilis, immitis, adfectibus deditus, incorrigibilis, contumeliosus, bellorum author, grauis, molestus, incoercibilis, intolerabilis. Pacis artes apud illum contemptæ fuere, odium beneuolentiæ, sæuitiam, violentiam, rapacitatem, dementiæ, comitati & benignitati semper prætulit, libidinibus, vinolentiæ, commessationibus, aleæ, morionibus, scurris, stultiæ socordiæq; deditus. Fuerunt complures ethnici, qui ex rebus benè pro repub. gestis, nihil in ædes suas intulerunt, præter gloriam. Fuit vnus & alter, qui hanc quoque contempserint, veluti Fabius Max. & Antonius PIVS: In Basilide cupiditas fuit infinita, subditos immodicis exactionibus oppressit, multos ad famem, ad laqueum, & rerum desperationem inhumanissimè adegit. Beneficentiam numquàm sincerè exercuit, de morionibus tantùm, delatoribus & voluptatum administris benè mereri solitus. Aduenientè illo in regionem aliquam

aut

aut ciuitatem, ciues elegantiorem supelle-ctilem abdebant, filias insigni forma recln-debant, adolescentes ablegabant, opes dissi-mulabant, ac modis omnibus contrahebant sese, reipsa satis indicentes, quam haberent de tyranno opinionem, cum id facerent, quod homines aduenīēte hoste aut prædone facere consueuerunt. Leges sicuti Dionysius ille Syracusanus & Epitades plurimas tulit, ali-as super alias ingerens, easq; vt fit à populo negligi patiebatur, quo cunctos ad hunc modum sibi redderet obnoxios. Ad puni-endum semper propensior fuit, quàm ad ignoscendum; siue quod per se crudelis, siue quod longissimè à moribus Dei abesset, cuius ira lenissimè ad vindictam procedit. Scele-ra commissa suis priuatis commodis æstima-bat; si quis de impijssimo homine aut de pe-stilente eius dominatione verbum aliquod liberius dixisset, statim læsæ maiestatis cri-men admissum esse affirmabat, eumq; vi-rum igni & aquis semper oppugnabat. Ne-ro crudelissimus etiam Princeps delationes non libenter admisit. Basilides non semel ob minimam aliquam suspitionem homines membratim discerpsit, eosq; cum vxoribus

&

& liberis crucibus affixit. Monitores proditores vocabat, à quibus autem corrumpebatur, qui nec ipsi decora, nec patriæ conducibilia tractabant, qui in sordidas voluptates, qui in commessationes, in aleam, in assentationem procliues erant, qui bellis eum inuoluebant, qui abducebant à recto, qui expilationes populi, qui tyrannidis artes docebant, eos inter carissimos habebat, ac ipse per leges suas tamquam aranearum casses securus perrumpebat, muscis dunxtaxat & miseris subditis irretitis. In eo tamen vnico fortasse laudandus, quod magistratum purè creauit, eos enim adsciscere solebat, non qui censu valerent, non qui plurimo emissent, non qui improbissimè ambirent, non qui cognatione coniunctiores, sed qui ad functionem mandati muneris essent aptissimi, in hos quoq; seueriſsimam statuebat animadversionem, erga eos, si conuicti fuissent, supplicij genere diuersissimo vsus. Quosdam enim præfectos qui aut ciues vexauissent, aut expilassent negociantes, virgis lacerare solebat, nonnullos baculis cædebat, alios serica veste splendidissimè indutos per ciuitatis regiones huc atq; illuc circumducebat,

nullis

nullis quidem equis, sed carnificum turba currum trahente, qui scuticarum strepitu & fragore auras verberabant. Posteà cum ad aulam reducerentur, an verberibus mulctati essent, interrogare solebat, illis metu consternatis & mussantibus, Nunc inquit, vestrarum pœnarum nuncios audiuistis; cauete autem ne ipsum legum mearum rigorem experiamini, quod tũc fiet, cùm denuo actio male gesti muneris contrà vos fuerit instituta. Nonnullis etiam quibus priuatim pœnam irrogare cogitabat, ferrato scipione vtrumq; pedem perforare erat solitus. Quosdam pelli vrsinæ insutos in forum publicum protrahebat, vt ita canum laniatu rotati miserabile cæteris spectaculum præberent. Punitebat item ministros suos aulicos, & sæpissimè patientiam abrumpebat, si renouatis improborum iniurijs post priamam delicti veniam contumeliosè læderetur. Exercuit & summum ius in damnandis, qui vetitis diebus in publico ebrij & melicrato repleti conspicerentur: Adeò vt eos toto anno in carcere & durissimis vinculis captiuos detinuerit, ex quibus triduo ante PASHATOS diem liberari tantum

tantum consueuerunt. Instante autem Natalitio CHRISTI & Paschate vulgus ciuium ad aulam accedens bibendi licentiam audacter rogare solet, ea ad dies quatuor & decem impetrata, postea per certos homines tabernæ purgantur, & omnis generis potiones tanquam voluptatis & illecebrarum ministræ è domibus eiiciuntur. Cæterùm nulla in re vehementius & diligentius, quàm in puniendis alieni æris debitoribus laborauit, eos omni beneficio indignos existimans, qui nequaquam grata manu alienæ fortunæ muneribus vterentur. Nemo enim vel ciuis vel peregrinus, qui emendo aut vendendo nomina fecisset, nemo vel minimus debitor vmquam fuit, qui fastuarium inclementissimi Principis non senserit. ex his aduentitios & parum notos homines, ciuesq; adeò suos, & summos infimosq; homines certis diebus egredienti ex templo populo monstrare, & per regiones ciuitatis circumducere erat solitus, eò præsertim libentius, quum absoleta veste indutos & benè baculatos conspiceret. Alieno enim æri obnoxios in repub. ferre nolebat, eosq; ad omnes exercendæ perfidiæ occasiones paratos esse dicebat.

bat. Populi negocia certis anni temporibus audiebat & excutiebat; Tum humillimo cuiq; fas erat iniurias deferre, & liberrimè conqueri de impotentia acerbitateq; potentum, qui contrà leges & consuetudinem subditos nulla moderatione vexauissent. Ne verò quisquam re infecta ex aula discederet, Scribas & iudices magno numero aduocabat, libellos supplices ipse inspiciebat, quos in pileum primarij cuiusdam scribæ coniectos absoluto verè iudicio in conspectu omnium effundere & inter illos distribuere consueuerat, ita vt diceret supplicantes eadem hora sic audiendos & dimittendos ne quis omnium in ciuitate pernoctandi occasionem & necessitatem habuisse videretur: nec vlla in re crudelius seueritatem exercuit, cum sentes pariter ac insontes neglecti muneris inuidia notatos acerbissimis plagis & contumelijs oneraret. atq; hæc in principe maligne improbo laudem fortassis mererì poterant, nisi paruæ adfectatæ virtutis scintillulæ densissimo probrorum vitiorum q; fumo obscuratæ fuissent, quibus domi pariter & foris indelebilem pudendi nominis infamiam contraxit. Maiorum enim suorum

in dictis factisq; inconstantiam, fraudem ac insidias Basilides non modò omnem in se admisit, verumetiam auxit; Pacta cum vicinis regibus fœdera violauit, sub amicitia semper belli molimina quærens; idq; tum maximè egit, cum litteris missis ad D. Sigis. Augustum de securitate oratoribus præstanda, qui ad se de pace mitterentur scriptis, subitò Polociam inuasit occupauitque. Henrico Gallo pace promissa ad tranquillitatis fiduciam adducto, contra omnem iurisiurandi religionem Pernauiam eripuit, aliasq; Liuoniæ arces in potestatem suam redegit, consimili fraude erga Stephanum regem Vsus, cui cum fiduciam pacis attulisset, repente Liuoniam iterum armis oppugnauit, quo tempore, quæ in trucidandis per acerbissimos cruciatus captiuis truculentia: quæ flagitiosa in vexandis honestissimis nobilissimisq; feminis turpitudo; quàm inexplebilis in hauriendo sanguine Christiano sitis, & in omni genere iniuriarum immanitas fuerit, omninò commemorari satis non potest. Ad inueteratam autem perpetuamq; malitiam suam, istam quoque iniuriam adiecit, & contra gentium ius legatos maximorum regum effrenata superbia non

semel

semel violauit. Missi ad eum à Sigismundo erant ex ordine senatorio splendidissimi Oratores, Ioan. Crotoßinius Palatinus Inouladislauiensis, & Nicolaus Taluoisius Samogitiæ Castellanus, vt de grauibus reipub. rebus cum eo tractationem inirent: Quos tamen sine omni amicitiæ & datæ fidei respectu contumeliosè tractauit, & modis indignissimis violauit: hominem nobilem ex aulicis regijs spoliauit, & cum res quasdã pretioßiores inspiciendi causßa accepisset, superbè retinuit, negociantibus qui vnà veniissent, ingentem mercium lectißimarum vim eripuit: equos in oratorum illorum conspectu productos ferro dissecari curauit, & semper ea quæ ad contumeliã regiæ maiestatis, regniq; Poloniæ ac Mag. Duc. Lithuaniæ detrimentum pertinere possent, cupidissimè suscepit. Sed quid de regum legatis dicere attinet? Cum magnos quoque Principes & regia stirpe natos truculentissimus ille carnifex immaniter crudeliterq; afflixerit. Id enim ex relatione præstantium virorum benè scimus, quod scilicet leuissimis delationibus adductus Magno Cimbrorum Duci, cui Liuoniæ imperium

sureiurando desponderat, sanguinem proprium cum melicrato mixtum bibendum porrexerit; cuius deinde satellitium in frusta dissectum est, & ille pugnis vehementissimè cæsus vt vitam à præsenti mortis periculo seruaret, genibus innixus multa passuum millia perreptando gemens tremensq; ad tentorium tyranni delatus est.

Tùm ille consurgens ait, ausus ne es nefandissimum caput Liuoniæ imperium sperare? te ex patria tua profugum & extorrem in familiam nostram adscripsimus, atq; ita ex inope repentè diues factus contrà benefactorem tuum perfidiam exercere potuisti? Quid quod paullo antè ter insimulatus adfectatæ dominationis, non dico regem, patronum certè tuum superbè spreuisti, tendamq; ciuitatem nostram & omnem adeò Prouinciam insidijs circumuentam subigere parasti: sed vigilarunt oculi Deorum qui te frustrà omnia conantem arbitrio nostro subiecerunt. Itaq; quoniam alieno adfectasti, æquum est vt omnia ea quæ largissima manu tibi dedimus, nunc tandem amittas; nec plura proloquutus regiam ipsi vestem

*veſtem detraxit, verborum contumelijs hauddubie crudele ſupplicium additurus. Igitur cum hinc cædes commilitonum indignè peremptorum, inde hoſtium multitudo, hinc mortis metus, inde crudelitas tyranni & barbari exercitus attonitum & conſternatum principem vrgerent, quoniam ex eorum manibus liberari non poterat, ſupplicandum ratus, vltimis deprecationibus veniam rogauit, quam poſt multas demũ horas accepit, nec aliter quàm dum contemnitur liberatus eſt. Ad eum modum Baſilides per veſtigia paternæ tyrannidis decurrens, ſicuti crudelitati, ita & libidini eius ſucceſſit. ethnici æſtimatione rectiſſima ob continentiæ laudem celebrant Peleum, celebrant Bellerophontem, celebrant Cyrum: Pauſanias à Coa, Alexander à Darij coniuge, Scipio ab Allucij ſponſa abſtinuere: Ipſe quinetiam tot probris coopertus Iulianus caſtitatis nomine apud Marcellinum celebris eſt, quem dixiſſe ferunt: Pudicitiam celſius conſurgentem vitam ſic ornare, ſicut pictor ingenioſus vultum ſpecioſum veris colorũ pigmentis ſplendidius effingere conſueuit. Baſilides*

autem quouis Paride & Caracalla effemi-
natior more negociantium nuptias subinde
nouis nuptijs permutauit, ciuiumq; suorum
coniuges coëgit, si viuere vellent, vt certis
diebus virgines suas prostituerent, quas de-
inde ad stuprum raptas immissis militibus
spoliauit, ornamentaq; puellarum in suam
prædam vertit: quarundam parentes di-
tiores interfecit, quasdam ad prodendas pa-
rentum pecunias torsit. Cum his arti-
bus aliquot annos regnasset, tandem regno
hæredem relicturus, animum ad matrimo-
nium contrahendũ appulit, & septem omni-
nò vxores secundum successionis ordinem
habuit; quod quidem vix credibile foret,
nisi ea nos ex splendidissimis legatis magna
cum admiratione audiuissemus, quorum fidẽ
vltimus ad tyrannum istũ internuncius E-
lias Pilgrimouicius præclaro testimonio suo
abundenobis confirmauit, de septẽ vxoribus
tres repentinis mortibus interiere, duas ob
sterilitatem thoro expulit, septimam eo tem
pore duxit cum Poloniæ rex deuicto & euer-
so Velicolueo ingentes in Moschouia copias
cum admirabili omnium terrore circumdu-
ceret. Tunc enim ne quis eum acceptis
cladi-

*tladibus commoueri existimaret, & nuptias ipse celebrauit, & filio Iuano sponsalia fecit, ita vt in extremo rerum discrimine impudentius etiam populo suo insultare videretur. Nam cunctis ea nuptiæ grauiores repentinis funeribus fuere. Quod cum intellexisset, ne quid adflictis solatij deesset, filios eorum filiasq; nubere, præposita recusantibus morte compulit; atq; ipse etiam genio turpissimè indulgens dementiæ insolentiam addidit. Quippe eunti per publicum Romana aquila, velut argumentum maiestatis præferebatur. veste purpurea, & cothurnis regum, & aurea corona vtebatur, vt ciuibus non libidine tantum, sed effrenata etiam intempestiuaq; superbia molestus esset. Sed missa nunc illicitæ libidinis & ebrietatis censura, religionem barbari Principis examinemus. Quid autem? numquid aliquem Russiæ Flaminem ab inferis excitabimus, quod Socrates apud Platonem facit, qui nobis patrios ritus exponat, religionisq; Rutenicæ summam conscribat? minimè gentium. Non enim figmentis hominum, aut somnijs vllis indigemus, quando eorum ceremonias & preces & ritum &*

pietatis cultum coràm cognouerimus. Russi S. Andream religionis authorem habent, quem enauigatis Ponti Euxini undis in has terras delatum apud Kiouiam consedisse, & populis colendi numinis rationem primum ostendisse adfirmant.

Nunc eiusdem cum Græcis sunt professionis vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate venerantur. Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere aiunt. De Pontificibus Romanis non benè sentiunt, ex quorum magno numero septem tantum pro Catholicis habent, horum successores doctores vocare consueuerunt. Sacrorum Principum Metropolitam appellant, qui dignitatis gradum accipit à Patriarcha Constantinopolitano. Porrò totam sacram scripturam patrio idiomate conuersam & typis expressam habent. Patrum lectio in ipsorum templis frequentior est. De fidei articulis communem cum Græcis opinionem alunt; & originalem quidem labem nobiscum vehementissimè deplorant, naturam hominis extremè corruptam esse asserentes; ità vt in locum imaginis Dei, sanctitatis veræq; iustitiæ, nunc contemptum numi-

*numinis, iniustitiam impietatemq; successisse opinentur. Aiunt non esse in carne nostra bonum, omnesq; homines in tenebris et densa ignorationum nocte sepultos violare mandata Dei, & ex prauo corde tamquam ex perenni fonte omnium malorum riuulos descendere. Ideoq; opus esse existimant, vt infantes in luminis auras editi statim Christo offerantur, mysticaq; ablutionis Sacramento imbuantur; nam vnico tantum baptismo peccata deleri dicunt. Verumenimuero cum non infantes tantum iræ cœlestis Dei obnoxij sint, sed in cæteris quoq; hominibus peccata prædominentur, vere solideq; coram Deo & homine peccata agnoscenda, & contrarijs vicijs virtutes operandas esse docent. Fidem salutis fundamentum ponunt, sed viuam fidem, & eam quæ à bonis operibus testimonium habeat, ideò fieri non posse putant, vt quis bonorum operum excellentia destitutus Deo iungatur & viuat. Desperationem vetant, dicitantes iram Dei breuissimam esse, qui & enormia flagitia condonet, eaq; obliuione deleat sempiterna. de sanctis D. Nicolao, Mariæ virgini, Eliæ & Ioanni Baptistæ præcipuum ho-*

norem habent. Somnio de liberi arbitrij valore multum tribuunt. Spontaneam quoque paupertatem ita adfectantes, quasi ea sempiternam spectanti beatitudinem maximo-perè sit necessaria. Inter cætera autem beneficia quibus humanum genus cumulat DEVS, non postremum & hoc esse testantur, quod imperia orbis terrarum conseruat, quod certos homines ordinat, qui respublicas piarum & impiarum gentium administrent, ne omnis humanæ vitæ ratio & ordo peruertatur, & omnia plena sint tumultu & confusione.

Igitur omnes qui ad clauum imperiorum sedent, honorandos esse & timendos assueuerant, illos etiam qui à iustitia & pietate recesserunt. Monachatum quinetiam & fratrum collegia tantis encomijs ornant, vt nihil diuino numini gratius esse statuant, quam si quis rebus terrenis prorsus abrenunciet, & arduas viuendi regulas amplexus, officiaq; sanctissima professus, religiosi Monachi nomen vsurpet. Purgatorium omninò negant. Sub vtraq; specie Eucharistiam sumunt. Calici aquam tepidam admiscent; Dicunt enim ex latere Christi,

cum

cum noſtras in cruce ſordes elueret, ſanguinem & aquam defluxiſſe. Pane in cœna Dominica fermentato vt plurimum & lingua patria vtuntur. Eos qui Liturgiam ad quæſtum transferunt, odio digniſſimos eſſe putant. Extremum iudicium credunt & expectant, quo quidem nihil clarius, nihil illuſtrius et magnificentius nihil probis hominibus optatius, nihil improbis horribilius futurum opinantur: illud etiam addentes; Eos qui cum pietate & iuſtitia vixerunt, definitum in cœlo locum habere, in quo ſummis bonis expleti, & Chriſto gloriæ communione coniuncti, ſempiterna lætitia, cum immenſa & inexplicabili voluptate perfruantur: Impijs econtrà, & illis qui falſas religiones coluerunt, qui DEVM res humanas non curare exiſtimauerunt, procul à cœtu & conſortio beatorum ſeclusis, æternas tenebras & gehennæ incendium paratum eſſe. Vitæ humanæ ſtatũ in coniuges & cœlibes diuidunt, circa mortuorũ ſepulturam, nuptias, feſtiuitatesq́, alias mirabilibus ceremonijs occupati, & ſuperſtitionibus nõ paucis diediti, de quibus in epiſtola ad Dauidem Chytræum ſcripta longiorẽ aliquando narratio-

nem

nem habuit. Viderint autem illi quid credant, nobis satis est, si hanc iudicij rectitudinem in barbaris probemus, quod præclarè sentiunt, Deum Opt. Max. peccati causſam non esse, sed perennem potius perpetuumq; bonorum omnium fontem. certè nemo ità languet, aut ità friget in cupiditate summi boni, qui non excitetur, & quasi facibus admotis incendatur, cum hanc vocem audit. Hæc est omnium sententiarum vna nobilissima, vna, mihi crede, quæ omnium Philosophorum sententias, vna, quæ omnium regum opes facile vincat. Summus enim ille cœli terrarumq; moderator & Dominus, rectus, castus, & sanctus est, cui etiam nihil nisi rectum, castum & sanctum placere potest. Odit enim quicunq; se vitijs contaminant, mendaces q;, vanos, fraudulentos funditus euertere, eosq; secluſos à concilio cœlestium sempiternis cruciatibus adficere solet. Sed pergendum est. Sacerdotes Russorum vxores ducunt; eæ si decesserint, cælibes permanet, & summa castimonia vitam peragunt: Si verò adulterio se aut libidine aliqua commaculauerint, sacerdotio priuantur. Antequam rem diuinam faciant, aliquot

quot diebus ab vxoribus abstinent, vt libidinis impuritate dierũ numero sublata sanctius CHRISTO seruiant, deq; rebus diuinis attentius cogitent. Feriis esurialibus miserè sunt obnoxij: Cum ieiunant, vsque ad Solis occasum nec edere quidquam, neq; bibere solent. Sequentibus tamen diebus turpi crapula & ingurgitatione abstinentiam benè recompensant. atq; hæc quidem de fide Russorum memoratu digna, quæ in ipsorum libris latius dispersa sunt, ex magna articulorum religionis turba electa recensui, vt documenta habere volentibus longæ inquisitionis labor abesset. Constat autem Basilidem, quod à prima adolescentia opinione omnium exactam patriæ religionis cognitionem fuisset adeptus, non parua in obseruanda amplificandaq; ea diligentia vsum fuisse: quando statis solennibusq; diebus Pontificum præmonitione ipse etiam rebus diuinis operam daret: itemq; animo valde modesto, certis temporibus carnes non edere, interdum nihil gustare præter legumen & olera; Sæpius etiam cœna penitus abstinere incorrupta lege statuisset. Postea verò accepto patrio regno, tantisq; opibus ornatus

natus, tumens ex successu rerum, spernere iam etiam ipsum Deum, à quo fuerat in dominationem positus, superba insolentia capit, aras & templa spoliauit, facetis iocis sacrilegium circumscribens: Non enim Diuûm se, sed Monachorum diuitias emendicatas auferre dicebat; & quamquam patrios Deos omnemq; religionem non obscurè deridebat, de ritibus tamen & ceremonijs exterarum gentium frequentes cum amicis sermones habebat. Aderat illi iam multos annos Britannicæ reginæ nobilissimus legatus, cuius singulari prudentia in omni grauiore negocio, sicuti & consilijs in regenda republica, nudatis omnibus sensibus vtebatur. apud hunc de varijs inter hòmines sectis & religionum professionibus sapissimè disputabat, ità vt & ipsum nonnumquam Pontum eadem de re differentem propensis auribus libentissimè audiret. Erat enim in eo viro cum humanarum optimarumq; artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singularis, longo vsu, & varijs vtriusq; fortunæ experimentis comparata. Christianum item Boccornium Magni Cimbrorum Ducis Sacerdotem splendida ves-

ste

ſte & cathenis aureis inſignibus donatum, in purpura concionantem ità audire ſolebat, vt palàm diceret, Lutheri dogma veritati vicinius omninò videri, illudq; tolerari etiam poſſe, niſi author intempeſtiua vehementiq; eloquentia in vnum Pontificiæ cauſæ iugulu incumbens veterem ſacrorum ordinem euertiſſet, ſanctarumq; litterarũ ſcientiã turpi transfugio abiecta inprimis cuculla, & habitis cum ſacra virgine nuptijs obſcuraſſet. Hæc à barbaro principe et ſuprà humanã fidem ſuperbia elato eò confidentius dicebantur, quod cunctis adulantib., aut iudicio deceptis, prorſus nemo eſſet qui diſſolutæ hominis opinioni admonendo obuiam ire auderet, ne in expiabilẽ pariter inuidiam & mortis periculũ ſibi crearet. Non defuit etiã Caſpar Vitebergenſis ex interpretibus ei gratiſſimus, qui abiurata patria religione, & Ruſſorũ ritu rebaptiſatus, impudentibus nugis herum ſuũ in peſtifera nefandaq; ſententia confirmaret: quando nullum in rebus ſacris ordinem, nulla Dei altaria, ceremonias nullas apud Germanos eſſe audaciſſimè mentiretur. Inter cæteros autem Ioannem Rocytam, virum pietate ſingulari præſtantem, de va-

de variis inter Christianos sectis de religione Lutherana, de fundamento salutis non pauca etiam cum singulari significatione attentionis cupidissimè interrogauit. Venerat ille anno supra mill. Quingentesimum septuagesimo in Moschouiam, & D. Sigismundi Augusti legatis ità adcrat, vt & sacris praesset, & habendis concionibus eorum seruitia ad pietatem erudiret. Hunc ad se in Senatum perductum & acceptum honorificè Euangelicæ doctrinæ summam confidenter edisserere iussit, & munera etiam ingentia ei pollicitus est, si dubia confirmare, explicare intricata, & obscuris lucem adferre dicendo posset. Vos inquit, de fide Euangelica gloriari consueuistis, sed factionibus creberrimisq; tumultibus ità diuisi estis, vt iam omnem ferè Europam vestris nouis dogmatis subuerteritis, quod etiam incredibile foret, nisi ea nos ex quotidianis ferè nuncijs magna cum admiratione audiremus. Vestræ quinetiam sectæ placita veterum hæreticorum dogmatibus inclusa iam pridem in pluribus consilijs à vere doctis & Christianis hominibus explosa & seuerè vindicata intelligimus. Quid igitur monstri est

quod

quod incertarum hæresium propugnatores estis, quod soli fidei iustificationem adscribitis, cum venturus sit Dominus iudicare vivos & mortuos, qui & reddet vnicuiq; mercedem secundum opera sua. Iam si sola fides beatitudinem adfert sempiternam, quid illo opus est iudicio? Cur toties in nouo Testamento operum dignitas nobis inculcatur?

Sed hæc sunt præceptorum vestrorum HVSSI & LVTHERI egregia paradoxa, qui schismatibus & dissidijs orbem terrarum inuoluerunt, & quidem pro comperto habemus, nulla eos sanctarum Scripturarum authoritate vt has turbas darent, adductos, sed temeritate potius ac impetu plebis cum semper imperitæ tum in omni nouarum rerum motu absque vlla iudicij ratione gestientis. Igitur sicut illi veteris ecclesiæ desertores à nullo mortalium legitimam docendi potestatem habuerunt, nec vllis vnquam miraculis, de quibus Saluator noster ad discipulos suos concionatus est, clari fuerunt: Ità nec tu legitimo iure doctor es, nec miracula vlla facere potes, nec omnino Euangelij minister habendus es, cum ne-

quaquã maiorum authoritate ad hanc spartam peueneris. Ter maximum enim illum Paullum dixisse meminimus: Possunt ne inuocare eum, cui non fidunt? aut fidere ei de quo non audierunt? aut audire, sine præcone? aut prædicare, nisi qui erunt legati? Cogita nunc cum animo tuo Rocyta, quis vos miseros ad prædicandum miserit, cogita tandem quid annuncietis, cogita quã indignissimis modis vos porci preciosas Saluatoris nostri vniones tractetis? Quippe Curiones simulando bacchanalia vitatis: Delectum ciborum & ieiunia corporis sanitatem animiq; vigorem conseruantia velut in odium ecclesiæ reijcitis & damnatis; cum econtrà Dominus vigilantiam & abstinentiam tantoperè nobis commendauerit. Preces vestræ quid aliud sunt, quàm inane & vanissimum murmur; multa enim facitis vota vsq; adeò vobis noxia, vt exsecrationes potius videri possint. Nam & sanctissimis cœli Quiritibus inuisi estis, quos cõuicijs prosciditis; quorum ædes & altaria destruitis, & hi tamen in perpetuo illo & transcœlesti lumine habitantes sua intercessione multum vobis apud illum DEVM prodesse

*desse poterant, qui eos adhuc mortali corpore grauatos tanti fecit, vt ad illorum preces dæmones expulerit, mortuosq; ad vitam reuocauerit.*

*Horum sanctissimis imaginibus non modò honorem nullum habetis; sed ex templis etiam & domibus vestris eas eijcitis, quibus tamen omnes omnium ædium parietes decentissimè ornatos esse oportebat. Quod facinus eò grauius omnibus habendum, quod in ipsos planè Deos sæuire videmini, qui & oportuno tempore vltionem impietatis à vobis exigentes sectas vobis & turbas inextricabiles obtrudunt. Iam quæ ist hæc indignitas est quod impurissimis libidinibus dediti honorabile inter vos coniugium esse non sinitis? Sacerdotes vestri vxores nequaquam legitimas, sed meretricum greges alunt, & tamen hi præstantes populi Doctores de pietate concionantur: certè sicut in Coræum præsens ira Dei desæuijt, ità & hos sine dubio manet gehennæ incendium, nec vmquam in monte Domini sempiternæ lætitiæ mustum gustabunt. Hæc & plura etiam à BASILIDE in corona nobilium & magnas*

tum dicta fuere. Mox Rocyta qui ad explicandā defendendamq; veritatem animum præsentem attulerat, libero ore audacter respondere iussus, humillimis primum gestibus dicendi potestatem rogauit, ne gratiam apud tyrannum in lubrico positam opinione celerius amitteret, & ex veritate in odium, ex odio in præsentissimum mortis periculum conijceretur. Meminerat enim amplissimos legatos paullò ante acerbissimis iniurijs fuisse adfectos, cum equi in illorum conspectu aduncis gladijs in frusta dissecarentur, cum nobilissimi adolescentes spoliarentur, & parum abesset quin omnes pariter ab homine crudelissimo occiderentur: ideoq; tenerrimis excusationibus imperantis animum præoccupandum ratus, transferebat mores ad personam, diuina quadam præsensione periculis occurrens. Cumq; instaret tyrannus, vt sententiam Rocyta suam aperiret, & absq; vlla fastidij suspicione auidissimum æque & patientissimum se fore auditorem polliceretur; ille ab imploratione opis diuinæ exordium sumens & Slauonicæ linguæ nequaquam ignarus, isto in consessu maximarum rerum momenta ità excussit

excusſit penſit auitq́, vt non falsò nemo peregrinorum ſacerdotum eò ſplendidius & decentius diſputaſſe diceretur. Res, inquit, omnes Dei iudicio deſtinatæ, humanis conſilijs impediri nequaquam poſſunt: & ille quidem DEVS ſummæ maieſtatis ſuæ decus conſpici volens, quomodo tandem agat, & quibus vtatur medijs, id profectò dignoſcere arduum eſt. Experientia tamen edocti ſumus, eum, cùm res maximas perficere ſtatuit leuibus omninò paruiſq́ principijs vti. Igitur ſi ex hoc colloquio pulcherrimum & clariſſimum verbi ſui lumen magis magisq́ inflammare voluerit, nos certè potentiam illius nec vllis terminis definiri, nec vllis hominum viribus impediri, ne vllo conſilio retardari poſſe dicemus, dominumq́ meſsis ſupplices precabimur, vt ex minutiſſimo ſinapi grano arborem crescere ſinat, ſub cuius frondibus volucres cœli nidos conſtruere poſsint. Et ego certè miſeræ illius viduæ exemplo nummulos duos ſimplices in arcam domini conijciens tibi ſereniſſime Ruſſorum Princeps ad interrogationem tuam breuiſſimè reſpondebo.

*Principio autem quoniam ex ore meo maiestas tua audire constituit quid apud nos de hominis iustificatione doceatur; negare id quidem non ausim, esse quasdam in orbe terrarum Synagogas, in quibus Princeps tenebrarum summæ dominationis fastigium tenens sanctarum scripturarum authoritatem vel penitus reiicit, vel falsa interpretatione ad alienum & peregrinum sensum deprauat. Quid nunc memorem de Iudæorum furiosa & obstinata cæcitate? qui à Domino Christo alieni ex Legis antiquæ obseruationibus salutem sperant. Quid de Turcarum vafricie technis & superbia dicam? qui Vetus nouumq; Iesu testamentum suo arbitrio improbant & blasphemant, nugacissimiq; Alcorani paradoxis innixi se sempiternæ etiam beatitudini & felicitati vicinos esse gloriantur. Alij operum fiducia superbientes merito Christi ità derogant, vt circumspectent suam sapientiam, suas vires, sua merita, suisq; adeò virtutibus sese attollere in montes æternitatis conentur. Sed omnes isti euanuerunt in cogitationibus suis, & frustrà hæc omnia faciunt. Quod enim sit extrà CHRISTVM non potest cuiquam*

cuiquam veram conferre felicitatem. Nos econtrà in negocio iustificationis ad nostras virtutes, ad ceremonias, ad leges hominum nequaquam respiciendum, sed ad altiora tendendum esse assueramus. Nam in quærenda æterna salute qui retrocedit, qui à tergo relictorum non obliuiscitur, qui oculos in cœlum non leuat, ille profectò ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, frustrà aspirat, & in exitium relabitur, sicut respexit Euridice & relapsa est in orcum; respexit vxor Lothi & uersa est in petram salis.

Docemus igitur miseriam humanæ naturæ maximam esse, quæ quidem primorum parentum vitio ità deprauata fuit, vt eius corruptela in omnem posteritatem sit propagata. Omnes enim homines in ipsa statim conceptione contrahunt labem, & procliuitatem incredibilem ad peccandum, omnes ad omnia scelera, ad flagitia naturâ ferunt tur: omnes sunt sub peccato, sed indignane, sub ira Dei: nec quisquam sua sapientia suis viribus ex hoc malorum natiuorum pelago emergere potest, nisi sit, qui è sublimi porrigat manum, & iacentem

*ſurſum trahat. imò etiam ille culpis ſuis maximum addit cumulum, ſeq; reddit venia prorſus indignum, qui tanta inflatius eſt arrogantia, vt ſponte ſua, viribusq; propriis animi labem & maculas eluere ſe poſſe confidat. Ne tamen quis ob eam cauſſam de ſalute deſperet; néue peccata ſua maiorem vim ad perdendum habere cenſeat, quam miſericordiam DEI ad ſeruandum: ſtatim digitum intendimus ad immaculatum & innocentiſsimum illum Dei agnum, ad Saluatorem mundi, ad filium Dei viuentis; qui propter noſtram ſalutem de cœlo venit, qui propter peccata noſtra cruci affixus eſt & reſurrexit ex morte, deſtructoq; tenebrarum regno cum ineffabili triumpho ad cœlos cœlorum, ad dexteram Dei, ad lumen & gloriam transcœleſtem reuerſus eſt. Cumq; dies ille formidoloſus illuxerit, quo die hominum corpora è ſomno mortis ad lucem aut tenebras alterius vitæ excitabuntur, tunc ille vniuerſos mortales vocabit in iudicium totius vitæ rationem ab illis exacturus. Coram hoc CHRISTO ſi quis impuritatem animi ſui verè agnoſcit, vereq; eam deteſtatur, & ſpem omnem illius*

illius abstergendæ in solo eius merito ponit, ne ille repentè ab imo ad summa prouehitur, ille verus est hæres & filius Dei, ille ad terram quietis, quam in sanctis litteris Dominus promisit, rectà profiscisetur. Non est enim alius ad vitam sempiternam gradus, non est in alio salus quàm in Christo, non est aliud nomen sub cœlo apud homines datum, per quod seruandi simus: Per eius nomen peccatorum veniam consequuntur, quicumq; ei fidem habent. Eo modo hominem per liberationem, quæ fit in Christo Iesu iustificari censemus, quem proposuit Deus placamentum, per fidem in eius sanguine collocandam: neque ea vmquam fuimus elati arrogantia, vt anteponeremus hominum opiniones sanctissimo Dei verbo: Si tamen aut Hussus aut Lutherus, vel alius quispiam, qui singularis sanctimoniæ, virtutisq; & pietatis nomine clarus fuit, scriptum aliquid aut dictum reliquit, id diligentissimè ad legum diuinarum regulam & normam dirigimus, & examinamus. Nimirum futilissima res est homo, & ipsa vanitate vanior: certè multis erroribus obnoxij sunt cuncti mortales.

*Peracerba quinetiam crudelisq; iniuria est, quod apud Principes orbis terrarum traducimur, quasi ij simus, qui vitæ cursum piè sanctèq; instituendum negemus: maximumq; Dei numen scelcribus nefarijs violandum, & eius lenitatem ità interpretandum arbitremur, quasi peccatorum similis sit, quasi maleficijs delectetur: Imo quàm longissimè ab hac sententia absumus? Asseueranter enim adfirmare solemus; mentem hominis obseruationem legum diuinarum sine diuino auxilio capere non posse, quemadmodũ neq; oculus solem sine luce solis intueri valet. Monemus igitur omnes vt ab ineunte statim pueritia, dum ætas adhuc tenera est, & flexibilis, summo studio & diligentia colant leges Dei, easq; tamquã pretiosissimũ thesaurũ in intimo animo reconditas seruent, contrà quã hypocritæ multi faciunt, qui simulatione sanctitatis præcepta quidẽ diuina ore iactant, sed animũ ab illorum amore prorsus abhorrentẽ habent. Nec enim est otiosa fides, sed si viua est per dilectionem operatur. Ne quis autẽ dixerit: per gratiã iustificatus sum, insitus sum membris Christi, saluus ero. Insitus es, sed vt fructifices,*

fices, non ex te ipso, sed ex succo radicis: gratia te ab erroribus restituit in viam, sed quare dicitur via, si te nusquam deducit, quomodo deducet, nisi per eam ambules? Hic domum non habemus, in via sumus, vt autem ambules in via Domini, opus est illius ductrice gratia, vt quæ peruenit, eadem comitetur, donec peruenias ad vitam. ni fructifices insitus CHRISTO, vide ne excidaris. Minitatur hoc tibi Dominus in Euangelio Iohannis: Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet pater. Factus es arbor bona, superest vt bonos edas fructus. Nam ficum quæ foliis nitebat expers fructuum, exsecratus est Dominus. Fructus autē sunt bona opera per quæ dignoscitur arbor bona. Eum fructum cum Pelagio non tribuimus libero arbitrio, sed canimus istam Dauidis cantionem: Deduc me Domine in via tua. Ambulamus per angustam hanc viam, si nondum possumus currere, semper detrahentes vitijs, addentes virtutibus, donec expediti fiamus cursores. Nihil desperandum CHRISTO duce, & auspice CHRISTO. Non circumspicimus tamen vires nostras, ne vertigenem moueant

hinc

hinc atque hinc præcipitia, sed respicimus ductorem nostrum, vt tuti ambulemus. Non dicimus libero arbitrio: deduc me in via Domini: non dicimus Philosophiæ humanæ: deduc me in via Domini; Sed dicimus ipsi Domino: deduc me in via, non in vijs hominum, sed in via tua. Lex ostendit viam, lex præducet ambulanti, iuxtà Psalmum: Lucerna pedibus meis verbum tuum: Sed gratia largitur vt ambules in via. dono cuius? cuius? nisi illius, qui dixit in Euangelio: Sine me nihil potestis facere. Qui incipit fidere suis viribus, & obliuiscitur gratiæ, iam excidit à via. Nam ipse Christus est via, in quo quisquis manet, securus ambulat in via Domini. Ille Dominus cum mortales in iudicium vocauerit, tunc damnabit simulationem pietatis & virtutis, eosq; omnes, qui præcepta DEI semper in ore habuerunt, & ea tamen minimè obseruarunt, ad inferos deijciet, vbi sempiternis cruciatibus afficientur: at ijs qui iustè cum fide & probitate vixerunt, vitæ perpetuitatem & æuum largietur sempiternum. Hæc cum magno studio doceamus, & vniuersos planè homines ad cultum

& ve-

& veneratione Dei mirabiliter inuite-
mus: nemo profectò adeò importunus esse
debet, qui adfirmare ausit, nos quemquam
fidei nostræ commissum ab honestis vitæ ra-
tionibus ab obseruatione legum diuinarum
ad prauam consuetudinem & scelerum li-
centiam traducere: & est tamen ea hu-
manæ naturæ infirmitas, vt discipuli pari-
ter & doctores multa peccemus inscientes.
an est aliquis, qui possit errata cuncta ani-
maduertere? Qui in tanta imbecillitate
& tenebris nihil offendat? quem vitium
specie virtutis aliquando non fallat? Multa
præterea nobis ingenti cum inuidia obiici-
untur, quæ à veritate quidem longissimè ab-
sunt. Quorum è magno aceruo inprimis
illud occurrit. Ordinis desertores religio-
nisq; antiquæ & ecclesiæ hostes vocamur,
quam verè autem viderint illi, qui innocen-
tiam nostram petulantissima lingua vex-
xant. Credimus enim esse aliquam sanctam
catholicam & Apostolicam ecclesiam, in qua
homines de vno Deo in tribus personis re-
ligiosissimè colendo eruditur, in qua de
miseria, & ingenita corruptela hominis, de
misericordia DEI, de vera pœnitentia, &
fructi-

*fructibus illius, deq; remissione peccatorum per meritum CHRISTI habenda explicatè, grauissimeq; disseritur, in qua solius Christi vox auditur, & rectè administrantur Sacramenta. Profectò ab hac ecclesia quæ plerumq; ex contemptissimo hominum genere constat, & in qua Deus magna facilitate pœnitentibus delicta condonat, afflictos & iacentes erigit, cæcis lumen impartit, errantesq; deducit in viam, ab hac inquam sanctorum communione non discessimus ad latum vnguem. Romanæ autem ecclesiæ abrenunciauimus, cerimonias & doctrinas hominum perditorum declinauimus, qui falsos et commentitios Deos colunt, qui bellum importunum contrà Deum, Deiq; filium moliuntur, & frustrà eius verbum & nomen conantur exstinguere: iam si id peccatum est, quod in cathedra derisorum non sedemus: Si Christi cœtus certo alligatus est loco, si propter odia dissidentium in religione verbi diuini veritas in dubium vocanda est: non video equidem vbi tandem inueniendus sit populus Christi. Nam & ipsi sacrorum Principes, qui existimant se solos omninò obseruantes esse legum diuinarum,*

*dubio*

dubio procul omni reprehensione dignissimi sunt. Quippe detestabili prorsus atq; intoleranda superbia elati miserabilem in modum lacerant gentem Christi: Deum inuocandũ, colendum, & suscipiendum esse docent, cætera omnia pro nihilo ducenda: quod admirabile dictu est, quàm contrà fiat ab ipsis, qui conculcata virtute omni ac religione, honores, opes, potentiam, libidines, in loco numinis colunt, hominesq; pios summa crudelitate persequuntur. Væ verò nobis si hos animarum pastores secuti fuerimus, qui nos à via, quæ ducit in cœlum, studiosissimè deducunt, qui Christum eiusq; verbũ iamdudum abiecerunt, quibus dum ità præsunt, optandum est vt terra dehiscente ad cæcas inferorũ tenebras detrudantur. Sectas nobis & dissidia obijciunt cũ ipsi interea ab Orientali ecclesia perpetuò dissideant, vnico tantũ arrogantiæ vitio in controuersiam dilapsi, quæ fons & origo est omnium controuersiarum. Taceo nunc ingentem istum diuersarum sectarum populũ, tot Stoicas simias, tot cucullata monstra, tot pullatos insolentissimosq; fraterculos, quibus vera Dei ecclesia eo tempore caruit, quo purissima & optima fuit.

Hi

*Hi arduas viuendi regulas profitentur, & sanctissimorum quidem patrum nomina præ se ferunt, sed sunt agnorum sub pelle lupi, qui legibus diuinis non parent, nisi spe mercedis adducantur, aut cogitatione, quantum illa res sit, vtilitatis habitura.*

*Pijssimas illi leges CHRISTI labefactant, verum Dei templum viuasq; eius imagines & aras animarum negligentes, aurum & oblationes auaro oculo inspiciunt, leuiora & quasi sinistra legis faciunt, de decimis, de eleemosynis, de cerimonijs noua cudunt. Quæ verò grauiora & sanctiora sunt opera euangelij & legis, negligunt: Sunt duces cæci, falsi, dolosi, sunt genimina viperarum, tersi calices, sepulchra dealbata, foris in mitris, in pileis, in habitu, in vestitu sanctimoniam ostentantes, intus pleni sunt turpitudine, hypocrisi, iniquitate, libidinibus dediti, sanniones, histriones, lenones, aleæ magistri, helluones, venefici, temulenti. ab his hominibus docendi munus, quod apud ethnicos etiam & arduum inprimis, & honorificum est habitum, nequaquam accipimus; sed à cœtu*

*Christi*

*Christi, qui per orbem terrarum passim dispersus est, qui dulcissimum Dei nomen colit & veneratur, cuius caput est summus ille Ecclesiastes Dei filius, qui est via & veritas & vita, qui habitat in cordibus nostris, qui mouet oris plectrum, qui vim arcanam verbis promanantibus addit. Nec est quod quisquam nos ordinis perturbatores esse putet; Non enim citrà delectum in suggestum admittimus, homines rerum imperitos, nullo iudicio, nec humanis, nec sacris litteris eruditos, vel sceleribus maculosos: Sed si quis tam excellens munus adfectat, illi omni studio curandum esse dicimus, vt in hoc difficili, & laborioso vitæ cursu placatum numen habeat, multisq; adeò rebus sit instructus, nimirum sanctarum scripturarum intelligentia, multa exercitatione, varia lectione, iudicio sano, prudentia non vulgari, & forti sinceroq; animo, qui varias tentationum procellas ac ingruentem malorum vim tempestatemq; tolerare sciat. Mirum autem est quid vobis terrarū Principibus in mentem venerit, quod miracula doctrinam confirmantia nunc tandem flagitatis. Cùm tamen omninò constet hoc*

verbum ad perennem hominis felicitatem neceſſarium, nouum non eſſe, neq; noſtrum. Chriſto militamus, diſpenſatores ſumus, ſermones DEI loquimur, Apoſtolorum veſtigijs inſiſtimus, & prorſus ità putamus: Apud illos homines qui ſanctiſſimam euangelij doctrinam receperunt, omnia videri ſublimia plenaq; diuinæ maieſtatis quæ de Chriſto redemptore docentur, ideoq; non magnoperè miracula requirunt; quæ tamen & ipſa non omnino deſyſſe putandum eſt. Quanti enim illud æſtimabimus, quod noſtræ prauitates & nos apud infinitam hominum multitudinem è varijs gentibus ac linguis conflatam non ſine ingenti fructu docemus, Ieſum Crucifixum: quod mortalibus metu iudicij diuini à ſcelere & maleficio deterritis viam ſalutis oſtendimus: quod multos in fædiſſimis tenebrarum ſordibus verſantes ad clariſſimam euangelij lucem adducimus? profectò non poſſemus dignè hoc officium exſequi, niſi ſanctiſſimus DEI ſpiritus aperiret os locuturis, & verba, & vim in docendo ſuppeditaret. Nonne autem mirabile eſt, quod in pectoribus noſtris tamquam in templo quodam immortali auguſtiſſi-

*ſtiſſimus DEI ſpiritus inhabitat? cuius beneficio ex animis hominum tenebræ pelluntur, qui eſt ſplendidiſſima lux Dei, qui in nobis efficax eſt ad inflammandos & ad ſanctimoniam adducendos etiam aliorum animos. Nunc mihi quæſo perpendas ſereniſſime Princeps, quanta etiam hodie Deus miracula faciat, cum ſuos cœtus contrà impetum & inſidias diabolorum munit, cum Doctores veritatis ità regit, vt non ſolum ſumma diligentia caueant, ne declinent ipſi de via, quæ ducit in cœlum; ſed etiam vt vehementer caueant, atque enitantur, vt omnes eadem ingrediantur via. Ille DEVS me etiam hominem planè exſilem nunc in conſpectum maieſtatis tuæ adduxit, tibiqúe animum pietatis ſtudio flagrantem nunc quidem dedit; deinceps autem ſi illud quod in te operatus eſt, confirmare, & per os meum veritatem in hac gente ſuam patefacere volet, certè animus meus in ſanctiſſima ſuauiſſimaqúe illius voluntate conquieſcit; numquam lingua mea ſatiarì poterit gratijs agendis, ſemper illa verſibus iucunditatis, & latitiæ plenis prædicabit infinitam bonitatem illius, qui*

tanta facilitate cæcis lumen impartit, errantesq; deducit in viam. Sed tu credere noli, nos, sicuti opinabare, sanctum canibus, & margaritas porcis dare. omni fide atque authoritate indigni sunt, qui talia de nobis dicere non erubescunt. Quin imò operam damus sedulo, vt preciosissimas cœlestis verbi gemmas studiosissimè in sinum animi colligamus. Ieiuny duplex genus constituimus: Vnum quod adsine est cerimonijs, & ad corporalem exercitationem pertinet. Sobrieenim viuendum & carnis lasciuiam domandam esse docemus: voracibus bibulisq; diuini numinis iram annunciamus; hominesq; in hac vita fragili peregrinantes ad vigilantiam, ad pietatem, ad sincerum DEI cultum adhortamur. Christianorum enim vita, quoniam velut in theatro posita, totius orbis oculos in se habet intentos, certè animo prompto, alacri & libero legibus diuinis obtemperandum est, vt alij quoque nostro exemplo ad iusticiam & pietatem colendam inuitentur. Si quando etiam summus ille cœli terrarumq; moderator & Dominus ad coërcendam impiorum petulantiam supplicia nobis & calami-

lamitates immittit; nocentibusq; de medio sublatis, pestilentia & fame verberare nos incipit, vt intelligamus qualis quantusq; sit apud eum delectus vitiorum & virtutum: Tùm nimirum respirandi potestate data, sensuq; acri peccatorum fracti, afflicti, & prostrati in sola eius misericordia spem salutis collocantes, humili prece, & ieiunio & lachrymis meritam animaduersionem effugere conamur. Atque hanc quidem animi adfectionem credimus esse sacrificium DEO acceptissimum. Sed si quis verum ieiunium in delectu ciborum situm esse putat, na ille doctrinam dæmoniorum propugnare videtur: Et si quis in hoc tantum austeram & parcam agit, vt assuescat paucis esse contentus, ille nihil magni facit fecerunt idem Philosophi CHRISTVM ignorantes. Multos reperias esu legumi-
num ac piscium pallidos, inedia macilentos, vigilijs ac laboribus attenuatos, vili cultu sordidos, duris culcitris ac cilicijs strigosos. Fuere tales magnus ille Basilius & Gregorius Nazianzenus. Siquidem vt hic narrat, vterq; sibi ieiunijs, laboribus, vigilijs, reliquaq; vitæ austeritate parum moderata,

*valetudinem miseram accersiuerat: vt Basilio vita fuerit acerba, mors optabilis: Gregorius cogeretur episcopi munus deponere, quod obeundis officij partibus corporis vires deessent. Nec D. Hieronymus dissimulat, inter Monachos fuisse quosdam, qui humore cellularum, assidua recitatione Psalmorum ac parum moderatis ieiunijs sic offenderent valetudinem, vt Hippocratis fomentis potius opus haberent, quam ipsius præceptis. Verum hæc exercitatio corporalis & importuna austeritas parum habet vtilitatis, nisi ad illa veræ pietatis argumenta, veluti subseruiens adhibeatur; plurimum verò se huc spectet ac præparet. Multi valde perturbantur, si die Veneris per imprudentiam gustauerint carnes. at ijdem sibi non displicent, si calumnijs & famam proximi læserunt, & animum contristarunt. miserrimè trepidant si per occasionem sacrum amictum posuerunt; at non trepidant si per temulentiam, odium, inuidiam, obiecta veste candida animi, quam Christus in Baptismo tradidit, nigrum Satanæ pallium induerunt. Itaq; cum ieiunium animo Iudaico obseruatur, quasi cibi genus*

nus per se purificet aut inquinet hominem; aut cum ista sibi quisq; præscribit, non ad pium vsum, sed superstitiosum adfectum, certè exiguam adferunt vtilitatem. Veri autem ieiunij exactam descriptionem sanctissimus DEI vates Esaias nobis reliquit, qui capite quinquagesimo octauo non de longis precibus, de victu parco & austero, non de nemorum ferarumq; latebris, non de veste lanea, de aqua potu & rudi zona concionatur: sed misericordiam, charitatem, & mansuetudinem nobis inculcat: ab ira, odio, liuore, vindicta, ambitione abstinendum esse docet: diligendos inimicos, dignis, iuxtà ac indignis benefaciendum. Libero enim ore sic inquit: En ad lites & iurgia ieiunatis, & ad pugnis impiè cædendum; ne isto pacto ieiunaueritis, vt in alto vox audiatur vestra. Hoccine est ieiunium quod ego approbem? Dies quo seipsum subigat homo? Scilicet vt caput in iunci modum curuet, centone stratus & puluere. Hoccine vocandum est ieiunium & fauorabilis Domini dies? Enim vero hoc est, quod ego approbem ieiunium impietatis

aperire nexus, iugi nodos soluere, quassatos dimitte liberos, vtq; iugum omne abrumpatis. Nimirum vt esurienti panem tuum impertias, inopesq; vagos domum introducas: nudum si videris, operias, neque tuis te subducas consanguineis. Tunc erumpet aurorae modo tua lux, incolumitasq; celeriter pullulabit, teq;, & tua praecedet iustitia, & Domini gloria excipiet. Tunc te vocantem Dominus exaudiet, conquerenti, se praesto esse dicet, si iugum ex te, si digiti extensionem, iniquamq; orationem remoueris. Si teipsum profuderis esurienti, atque afflictum hominem satiaueris, orietur in tenebris lux tua, tuaq; caligo erit meridies, & Dominus te semper deducens, appetitum tuum in siccitatibus saturabit, artesq; tuos ita curabit, vt similis sis irriguo viridario, aut aquae origini, cuius latices non sunt fallaces. Haec, sereniſsime Princeps, nostra de Christiano iciunio opinio est. mihi verò illud ad dolorem acerbiſsimum accidit, quod maiestas tua dicit, nos tamquam homines perditos & flagitioſos multos nobis Deos opinionis errore fingere, gloriam, honores, opes, libidines pro sanctiſsimo Dei numine vene-

*venerari. Certè huius pestiferæ opinionis, quæ totius vitæ Fundamenta conuellit, origo & fons est ipsa religionis nostræ ignorantia. Scimus varios fuisse Deos gentium Coluerunt dracones, Crocodilos, boues & Simias. Quid autem dementius? Sed hoc quoq; stultius, quod lapides mutos, ac ligna pro dijs coluerunt, vt præ his excusandi videantur, qui quibusdam hominibus honores diuinos detulerunt. At his omnibus execrabilius, quod æternos illos hostes humani generis dæmones DEO antetulerunt. Pectus auari templum erat Mammonæ; corpus libidinosi templum erat Veneris, Pectus ambitiosi templum Iouis, Genethliacus Apollinem, luxui deditus Comum aut Silenum venerabatur. Nunc autem ad diuinæ veritatis splendorem exortum, meritò euanuerunt omnia ficta Deorum nomina, idola gentium prostrata sunt, explosimus atq; exsibilauimus Deos inutiles è pectoribus nostris: impetrauit hoc mors Christi vt vnius veri DEI nomen, per vniuersum orbem omnibus gentibus inclaresceret. In vno illo & trino DEO, qui fecit cœlum & terram, totam fiduciam nostram collocamus,*

illum invocamus; ad illum confugimus. Quoniam ille magnus est, ille facit mirabilia, ille est DEVS solus. Quidquid habet hic mundus quamlibet sublime & altum, humile est, imò nihil est, si conferatur ad Deum nostrum. Solus ille verè magnus est, suapte naturâ: solus facit mirabilia; solus verè bonus, solus verè sanctus est. mirabiliter condidit mundum, mirabiliter restituit, mirificentissimè consummabit. Quantum videmus miraculorum in animantibus, in fontibus, amnibus, arboribus, herbis, gemmis, in stellis & Sole, in ipso cumprimis homine. Hæc omnia solus Deus faciet, cui nos omnia nostra semper consecramus, & dicamus: nihilq; animo agitamus, nihil aut loquimur, aut conamur, quin illum adesse præsentem cogitemus, neque nos profecto animus fallit: adest enim ille nobis præsens, & propitius propter CHRISTVM, & magnitudinem animi ac constantiam subministrat, ne ulli calamitatum oneri succumbamus, ne spem nostram excelso, atq; illustri loco sitam labefactet hominum improbitas. Hunc igitur solum adoramus, ad quem Redempter noster viam nobis patefecit.

*fecit. Quoniam verò honorem suum alteri non dedit, vt ipse loquitur apud Esaiam: Ideò etiam sanctis receptis in concilium cœlestium, & iucundissimo illius maximi patris adspectu fruentibus non supplicamus, nec eos aliqua adfecti calamitate quærimus; Quippe non sumus nescij, vt in sanctis litteris nullum huius rei euidens testimonium est. Ita nullum quoque præceptionem aut promissionem esse diuinam: qua superstitio quæ in inuocatione cultuq; diuorũ plurima est, rectè defendi possit. Nam nec vota nostra sentiunt diui, nec Deus gloriam suam illis dabit. An est aliquis inter diuos qui tanta operetur? Cuius tàm immensa sit sapientia? Tàm inscrutabile consilium, tàm miraculosa potentia? certè nemo comparari potest ad eum á quo omnia à principio facta & constituta sunt atque ad innumerabilia secula incredibli sapientia reguntur atq; conseruantur. Ille cum FILIO & SPIRITV sancto religiosissimè inuocandus, colendus & suspiciendus est, nec ponenda est creatura suprà eum, qui condidit omnia. Nec enim aliud Nomen sub cœlo hominibus datum est,*

*per*

per quod seruari possint, quam sanctissimum illud & dulcissimum Iesu Christi Nazarei nomen, quem Deus excitauit ex mortuis, qui solus constitutus est Mediator inter DEVM & homines, qui seipsum viam, veritatem & vitam esse præclaro & veraci testimonio confirmauit. Igitur quid prodest tanto gestu mortuos adorare? Compositæ manus tolluntur in cœlum, flectuntur genua, figuntur oscula, totius corporis habitus ad religionem componitur. Hæc decenter fierent, si fierent intus, si fierent coram solo Deo. Citrà noxam tamen diui ac diuæ optimè coluntur, si quis eorum pietatem & fidem imitatur. Nam & ipsi cùm adhuc mortali corpore grauati fuerunt, à nemine vnquam se passi sunt adorari. Agnoscebant enim imbecillitatem suam, et si quid vlla in re præclarè fecissent, id totum diuinæ deberi gratiæ adfirmabant. Ideoq; D. ille Petrus Cornelium ad pedes suos lapsum statim alleuauit, & se quoq; hominem mortalitati obnoxium professus est. Consimili planè modestia Paulus & Barnabas appellationem & honorem DEI spernentes, sacrificaturos Iouis Sacerdotes prohibuerunt, palàm

palàm profeßi, ſe homines eſſe, ijſdem, quibus alij, adfectionibus obnoxios. Quid quod & angelus Domini Ioannem ad pedes ſuos venerandi gratia accedentem, claraq; voce prohibuit? Caue, inquit, ne facias, conſeruus enim tuus ſum, tuorumq; fratrum, Ieſu teſtimonium habentium, DEVM venerato: nam Ieſu teſtimonium oraculi ſpiritus eſt. Itaq; ſicuti diuas & diuos inuocandos non eſſe docemus; ità etiam diuorum imaginibus, quoniam non ſentiunt, nihil habendum honoris arbitramur. Nam prorſus horribile crimen eſt idololatria, hoc eſt, ſimulachrorum cultus, quem Africani concilij authoritas iam olim ſuſtulit, in quo decretũ fuit, ne quid in templis eſſet aut recitaretur præter ſcripturas Canonicas. Igitur imagines ad cultum proſtitutas non ſolùm è templis, verumetiam ex omni ciuitate ſublatas eſſe oportet. Nonne autem mira craſſitudo eſt in homine Chriſtiano, non poſſe contemplari Deum, niſi per imaginem; ſi tamen Dei poteſt vlla fingi imago. mendax imago fallit. & tamen hominis licet vera imago, quantulum eſt hoc, quod repræſentat hominis? & Dei requiris imaginem?

*nem? nihil eloqui, nihil cogitatione fingere potes, quod DEVS est, qui vnus est adorandus. Vbi transcenderis omnem sublimitatem mentium angelicarum, adhuc infinitis partibus abes à celsitudine DEI, qui lucem habitat inaccessam. Sed adorans aspicis imaginem DEI; aspice, sed vt lignum aut lapidem, hominis manu factum. O idololatriæ & impietatis omnis imagines magistræ? ô in tartarum Duces? & damnatæ superstitionis adiutrices? quæ nam per illum DEVM, qui vos abominatur, aut vis ingenij, aut vbertas eloquentiæ, perinde ac malè de nobis meritæ estis, vituperare vos possit? Per vos verus maximi illius: cœlitum atque hominum patris & regis cultus destructus est, qui non in statuis, sed in sanctissimis legibus suis hominum generi se contemplandum & aspiciendum dedit, & clarè docuit quid exigeret à nobis, quidúe faciendum, fugiendumúe foret, vt ad vitam beatam ac immortalem peruenire possemus. Per vos cognitio rerum diuinarum euulsa est animis simplicibus, & ex amoris abundantia DEI contemplationem anxiè expetentibus. Ve-*

*stra*

*ſtra ſimulachra aures habent, nec audiunt, manus habent, nec poſſunt palpare; religionem & pietatem ſubuertunt; excæcant animos inanes ſpes & ſollicitudines adferunt, aciem mentis obſcurant, vt non poſſit intueri, quæ via ducat ad immortalem & iucundiſsimum diuini numinis adſpectum. Vos Gregorius ille errore quodam adductus ſuo primus in eccleſiam DEI inuexit, ſcilicet vt mentes hominum ſimpliciſsimorum religione ſancta imbueretis, & reuerentiam aduerſus DEVM, timoremq; ingeneraretis caſtum & pium; ſed profectò bonus ille à ſcopo longiſsimè aberrauit. Non enim decet nos ex pictorum & ſtatuariorum figmentis diſcere, ſed ex Lege & libro DEI, qui eſt liber ſanctarum ſcripturarum. Qui Deum noſſe cupit, oculos non intendat in ſtatuam, ſed ſcrutetur diuinas literas, quæ de DEO abunde teſtantur, qui litterarum ſanctarum ignarum eſt, is verbum DEI audiat, vt fidem habeat ex auditu. vos odioſæ & importunæ imagines docetis ad ligna & lapides hominem confugere, vos ſummam ſtultitiam & impietatem in mundum importatis. itaque nullæ*

*impe-*

imperia, nullæ ciuitates, nulli ſapientes populi veſtro cultu vmquam fuerunt delectati. Quis enim cogitatione complecti, ne dum verbis explicare poſſit, quanta ſit inſania, quantæ vanitates hominis veſtra ſimulachra colentis, & imaginem DEI in trunco & lapide quærentis? vos iam ab antiquis ſeculis Iudæi eiecerunt. apud Seres lege cautum erat ne quis vos adoraret. Vos ex decreto Numæ in Romanorum templis annis centum & ſexaginta ab vrbe condita viſæ non eſtis. Per vos religionis cultus negligi & contempui haberi cæpit: vos Perſæ etiam abominati ſunt. Solis AEgyptijs impia veſtra ſimulachra placuere: vos ſummi vox Dei, vos ſacræ & profanæ litteræ execrantur. Contrà vos antiqui patres ſuis ſcriptis depugnarunt. Vos clariſſimus ille Epiphanius in templis aliquando inuentas diſcerpſit & abiecit. Vos animi ſenſum falſis & peſtiferis opinionibus corrumpitis: cultus veſter per ſe inutilis & damnoſus eſt. Non per vos, ſed clauſis oculis, & erecto corde optime videtur Deus. Sed fit nonnunquam, vt quemadmodum guſtandi ſenſus aliquo morbo deprauatus, perſæpe mel iudi-

*iudicet amarum: Sic animi hominum falsis opinionibus imbuti præceptiones Dei naturæ salutares & iucundas repellant, & in luto humanarum traditionum volutentur. Præclarè autem illi saluti suæ consulunt, qui attentum animum ad verbi diuini certitudinem semper habent, atq; in eo audiendo & cognoscendo omnem curam & diligentiam ponunt. Scimus enim in prima illa nostræ religione, ab ipsis Christianæ fidei incunabulis, & diu post Christi ascensionem non fuisse in Christianorum cœtibus statuas, imo nec vlla templa fuisse condita, fatetur hoc ipse Origenes, qui in scripto suo contrà Celsum edito multis rationibus ostendere conatur, quam parum ea ad verum Dei cultum faciant. Homo pius & pulchritudine veræ virtutis accensus imago est & aureum templum Dei. nihil ille aut cogitatione complecti, aut tacitis votis optare potest, quod ab optimo maximo numine non sit sperandum. Si quis honorem quærit, DEVS largitur æternam gloriam: Si principatum, adsciscit in regnum suum, cuius non erit finis. Si oracula, habet scripturam certissimæ fidei, qua loquitur Deus ex adyto suo, quoties*

volumus. Si voluptatem, ille solus dat gaudium plenum, quod auferre nemo potest. Hac cùm ità sese habeant, cumq; nihil adeò tetrum, immane, & contra naturam cogitari possit, quam incomprehensibilem Deum in statua quærere, explodamus nunc tandem è pectoribus nostris impuram idololatriam, & iucundissimum Dei nomen religiosè veneremur. Ventum nunc est ad vltimam tuæ maiestatis obiectionem, de qua breuissimè respondebo. Vagæ libidines & meretricum greges nobis imputantur. Certè autem Baalis Sacerdotes qui impurissimam vitæ turpitudinem amant, qui libidinum facibus inflammantur, qui scortorum colluuiem alunt, qui rapinis & maleficio pascuntur, & cætera eiusmodi scelera suscipiunt, ij inquam Sacerdotes hac labe notandi erant. Nos enim episcopum irreprehensibilem, & ita moribus inculpatum quærimus, vt in eum non cadat vlla probabilis mali facti suspicio, ne forte doctor euangelicæ Philosophiæ, ne dispensator mysteriorum Dei, ne lucerna candelabro imposita vt luceat omnibus, qui in domo sunt, quacumque occa-

occasione det offendiculum impijs vel infirmis. Itaque vagas libidines nullo quidem modo probamus, sed exsecramur, & hac in re sanctissimorum CHRISTI Apostolorum præceptiones sequimur. Nimirum si quis castitatis donum ab optimo & castissimo DEO accepit, eum, vt sua dote vtatur, sedulò monemus. Cælibibus & vidius bonum est, si sic maneant. Cælebs enim Domini res curat, vt Domino placeat, Maritus mundana curat, vxori vt placeat, atque ità diuisus est. Item mulier cælebs, aut virgo, Domini res curat, vt & corpore sancta sit, & spiritu: & nupta curat mundana, viro vt placeat. Alij autem qui se non continent, contrahant matrimonium. Satius est enim licitum thalamum inire, quam impijs libidinum flammis ardere, aut meretrici adhærere, vnde populo ingens offendiculum nascitur, qui non tantùm ad calumniandum propensus est, sed etiam ex Sacerdotum moribus æstimare solet euangelij doctrinam. Ne quid interim commemorem de hæreticis, schismaticis, Iudæis, & alijs qui sunt à professione

Christiani nominis alieni. His profectò calumniandi ansa præcidenda est. Ipse quinetiam Deus grauissimam pœnam minatus est hominibus istis, qui conculcata virtute omni potentiam & libidines in loco numinis colunt: futurumq; prædixit, vt debitis supplicijs, & illis quidem acerbissimis adficiantur, vt Sodomitæ non fædius interierunt, qui sulphure, & igne cœlesti deflagrarunt. Ideoq; D. ille Paullus, cui videbatur pulchrè congruere, vt castitatis honos cum ordinis dignitate iungeretur, talem ad gerendum Sacerdotium idoneum esse adfirmabat, qui irreprehensibilis esset, vnius vxoris vir, sobrius, frugi, modestus, hospitalis, aptus ad docendum. Sed hic mirificè reclamant Romanæ ecclesiæ sectatores, qui manifestis interdum criminibus sunt infames. Admittunt ad Sacerdotia, qui furtiuis & nefarijs libidinibus sunt obnoxij, & qui palam ac populo teste homicidia perpetrarunt tolerantur: Simplicem verò euangelij ministrum qui legitimam vxorem duxit, exsilio, morte, interitu, conuicijs & quauis calamitate dignum iudicant. Quasi verò ex tam multis Apostolicæ constitutio-

nis

nis articulis, sola vrgenda sit vxorcula. Cum fœdissimi concubinarum greges non imputentur. quod si tanta est patrum istorum authoritas, vt matrimonium contractum dirimat, optarim vt eadem authoritas caueret, vt adulteria inter Monachos & scandala manifesta è medio tollerentur.

Sed missa nunc isthæc faciamus, & Græcæ potius ecclesiæ sinceritatem admiremur, quæ euangelij præconem vxorem habentem non arcet ab episcopi functione. Cum ad eum modum Ioan. Rocyta aliquantò etiam fusius Basilidi respondisset, ille quam gratus sibi sermo hominis fuisset, insolitæ humanitatis significatione declarauit, remq; adeo omnem in longa disputatione tractatam scripto comprehendi iussit, quod nos de Slauonico sermone conuersum latina ciuitate donauimus, vt videant vniuersi mortales, istum tyrannum, qui tanta feritate populum Christianum in Liuonia misserrimè contrucidauit, nostræ veræ religionis nequaquam ignarum fuisse, eumq; grauiores propterea in iudicio DEI pœnas daturum opinentur, quod nulla religionis aut

*pietatis cura habita contra aras, contra templa, & contra Christianum sanguinem inauditam immanitatem & truculentiam exercuerit.*

*Rocyta autem incredibili lætitia est affectus, quod Moschum summæ potentiæ Principem validissimis conuictum argumentis ità per sacras litteras sustinuisset, vt ille omni pristina religionis cognitione spoliatus tacuisse videretur. Adfuere ex Sarmatis splendidissimi Oratores Ioan. Crotossinius, Palatinus Inouuladislauiensis, Nicolaus item Taluoisius Castellanus Samogitiensis, & Duneburgensis præfectus, cuius, beneficio hoc scriptum meas in manus peruenit: Raphaël Liscinius Radzioniensis Capitaneus, Andreas Iuanouicius regius à Secretis. atque hi omnes ætatis honore & virtute clarissimi habebantur. Ipse Basilides in regia sua sublimem tabulationem instituit, & eam peristromatis insterni, & in illa sellas collocari præceperat. Ibi splendidissimo cultu ornatus, & nobilitatis Sacerdotumq. Rutenicorum turba circumfusus Rocytam & legatos regias audiebat, quibus insolitam eo tempore*

*huma-*

*humanitatem declarauit, nec multo post discedendi veniam & reditum in patriam liberalissimè eis concessit.*

# VITÆ IOANnis Basilidis

## LIBER SECVNDVS.

*LEGATIS IN POLOniam reuersis, & his ex ærario publico magnificè donatis, Basilides ad turbandam rempublicam & bellum ciuile consilia & animum reuocauit, quod tanta crudelitate gessit vt omnes omnium seculorum tyrannos longissimè anteire videretur. Bonis Principibus nihil gratius aut magis in votis est, quam vt suos incolumes, ac rebus omnibus florentes videant, ille autẽ quasi ferarum ac beluarũ more prædationi tumultibusq; natus esset, tàm cupidè semper bellum suscepit, aliud ex alio seuit, è minimo maximum ex vnico*

geminum, ex ludicro ſerium, & cruentum fecit; populos ſuos immenſis periculis obiecit: vna ſæpe hora tot orphanos, tot viduas, tot orbos ſenes, tot mendicos, tot infelices reddidit. Quæ autem bella paterno exemplo aggreſſus ſit, & feliciſſimè crudeliſſimèq; abſoluerit, id nunc tandem dicendum eſt, vt ad inſtitutum ſeſe recipiat oratio.

Primo inchoatum à patre contra Caſanenſes bellum ſuſcepit, exercitum conſcripſit; armorum telorumq; ingentem numerum comparauit, vtq; eſſet rebus omnibus ad bellum multò acrius gerendum expeditus, ſumma vigilantia prouidit. Subactis enim Tattaris, putabat Moſchouiæ imperium, ſi ità de rebus humanis loqui licet, fore ſempiternum. Porrò Sura fluuius, qui ex meridie decurrens infra Nouogrodiam in Volgam exoneratur, Moſchorum terram à Caſanenſi regno ſeparat, quod ad Volgæ ripas longiſſimè porrectum, meridiem orientemq; verſus latiſſimos & fertiliſſimos Tattarorum campos habet. Ciuitas Caſanna, quæ regni metropolis eſt, ad Volgæ & Caſannæ confluentem ſita eſt, & ad aſpectum

ctum iucundissima. Reges habuit diuersis temporibus Cheleazecum, Abrahaminum, Machmedeminem, Alegam, Abdelatyphum, Schealem, Mendlingerum, Machmetigerum, Sapiregiumq; cum quibus Moschi vario euentu varia & difficillima bella gessere. Hi diuersa ratione non in campis & syluis, nec inter Pastores vagantur, nec domos facile mutant; Sed fixis sedibus agriculturæ & negociationi dant operam, aliquanto cæteris vsu militiæ vigoreq; animi præstantiores. Olim Mahometem coluere, nunc Christum venerantur. Colore candido, & specie liberali sunt. Homines nobilitate sati armis exercentur, & militaris gloriæ decus ardenter expetunt. Sæpe Moschouiam omnia ferro proterentes petiuere, sæpè à Moschis bello petiti & vexati sunt. & Basilius quidem eos tributum soluere coëgit, ciuitatemq; Casannam combussit, & munitissimam arcem Basilogorodam ad Volgæ & Suræ commissionem ædificauit. De ipsa tamen gente nec speratam victoriam reportauit, nec confictendi belli rationem, qualem sperauerat, inuenit.

Quibus de rebus dolore & iracundia & bellica gloria incensus Basilides, vt patris facta superaret, exercitu armis virisq; instructissimo contra eos hostes profectus, bellum in septimum vsque annum maxima vi & adparatu gessit, adeò vti quasi plane victor recipiendis oppugnandisq; præsidijs totam eam regionem peruagaretur. Casana tamen oppugnatio summas semper habuit difficultates, defendentibus vrbem longe fortissimis Tattatorum Ducibus, qui lectissimas Schibanscorum ac Cosacorum vicinorum cohortes, Nahaccensiumq; & Zauolhensium alas dimisso reliquo exercitu ad vrbis præsidium retinuerant. Sed is oppugnationis exitus fuit, vt Casana, quæ vi capi non poterat, subiecto igni incenderetur. Ità Tattari post quintum belli annum adiuuante fortuna, quæ anteà magna ipsis detrimenta peperisset, suam adhuc libertatem repulso hoste retinuerunt. Basilides raptato exercitu ad suos reuersus, vbi primum intrà ditionis fines sese ostendit, incredibili populorum omnium alacritate susceptus est, & quasi nihil multiplici rerum suarum periculo commoueretur,

retur, & prorsus animo esset infractus, ità cupidè ad obtendas iterum terra mariq; Casanenses consilia omnia viresq; conuertit, & animo planè ingenti sextam expeditionem in Tartariam suscepit destinatam paratamq; antea à Basilio patre, qui moriens amplissimas copias omni bellico adparatu instructas oportunè reliquerat. Bello reparato prima illi cura fuit, vt & pacem domi, & amicitiam cum vicinis haberet, quam vel iniquis & maximè pudendis conditionibus parare & ex vsu præsentis necessitatis minimè sibi indecorum fore arbitrabatur: tot enim tantaq; præmia iam intra Moschouiæ fines effusis & victoribus hostibus largissima sponsione est pollicitus, quanta nec deuictis Casanensibus, subactaq; Tartaria omni referri aut sperari posse viderentur, certus cum animo suo quod nihil earum rerum depulso periculo præstare vellet. Hac astuta fallaciq; pactione vicinis deceptis ipsisq; amicitiam promittentibus, Basilides sumos pariter atq; infimos homines in armis esse iussit, militūq; acerrimū delectū habuit, & classem maximā instruxit, ità vt pro gloria, pro salute, pro totius Moschouiæ imperio

rema-

*remotissimæ gentes excitæ, ad enatum repente bellum concurrerent. Rostouiæ dux Petrus quatuor millia hominum ducebat. Iuanus Pietrouicius, supremus Moschouiæ Palatinus, duodecim millia. Casarinus Dubrouius, annuli regij custos, decem & octo millia sub signis habebat. Micaël Temrucouius tria millia. Reliqui verò, quos Basilius Dimitrouicius & Serebrinus: & multi præterea reguli ducebant, erant supra viginti millia hominum. At verò præter has copias, quæ terra ducebantur, classem quoq; instruxerat longarum nauium, quibus aditus facillimus occupatis fluuijs in Volgam decurrentibus pararetur ad inuadendam interiorem Tattariam, vnde præda omnis generis & spolia ampliſsima peterentur. Ipse Princeps iuuenili alacritate ad decus bellicæ laudis vehementer inflammatus cum robore legionum & lectiſsimis equitum alis aduentabat, vt quæ maiorum suorum ditionis quondam fuissent, armis repeteret, ab ijs præsertim qui patrem Basilium crudelibus armis vexauissent. Casanenses interea metu magnoperè conterriti nequaquam præpropero consilio aggeres comportauerant, &*

*turres*

tures contra Moſchorum irruptionem excitauerant, vt ex ijs poſſent milites diſpoſiti Moſchos ſagittis configere, & crebra variorum globorum multitudine lacerare. Baſilidi econtra artifices Germani ingentem tormentorum vim, & multa belli machinamenta fecerant, quibus hoſtes facilius expugnarentur. Ità inſtructus cùm ad vrbem veniſſet trinis eam caſtris terra mariq; obſedit, ſtatimq; prolato tormentorum adparatu adeò vehementer mania quaſſauit, vt latè proſtratis adapertisq; munimentis Tattarici præſidiarij in ſtatione conſpicerentur, quorum ingenijs tanta de Moſchorum gente innata erat contemptio, vt vltro etiam: prouocarent irriderentq; hoſtes, quod tantum inanis operæ fruſtrà ſuſcepiſſent vt aditus in vrbem pararetur, quando adapertis iam portis, ad iuſtam dimicationem fortibus viris, ſi animus ſuppeteret, eſſet irrumpendum. At Baſilides qui in ſpem potiundæ vrbis venerat, exploratamq; à peruicaciſſima gente victoriam cupiebat, tanta virtute & audacia obſidionem continuabat, vt à multis ſæpe locis vno ſimul tempore & die ciuitatem adoriretur, quem Tattari quidem

dem ægrè, fortiter tamen & mutua cum cæde repellebant: eruptione nonnunquam ità cum hoſte dimicantes, vt nec inuicti in caſtris duces, quidquam virtute vel conſilio valerent, quum & ſubitus Caſanenſium incurſus, & fœda fugæ facies, & conturbata diuerſis in locis caſtra, omnem vel conſtantis iudicij vim, vel ferendæ opis ſpacium inter diſſonos morientium clamores eriperent. Ità clades alternante fortuna cùm diutius duceretur obſidio, in caſtris Moſchicis omnia fœda obueniebant. Suadebant tunc nonnulli, vt Baſilides cum hoſtibus pacem componeret, ſi ſecus feciſſet, minabantur ſe domum reuerſuros. Alij ex domeſticis & familiaribus in eius perniciem moliebantur, etiam vndique fiebant in eum graues conſpirationes. Ipſi quinetiam milites nefaria audacia præcipites inſaniebant, & belli tædio in ſeditionem lapſi multis interfectis prope more militiæ conflagebant: adeò vt ſtringente nudum ferrum principe & in medios inter volitantia tela deprecantis habitu procurrente, vix diremta ſit pugna. Ex ea ſeditione vnaquæq; natio militum, veluti diffiſa alijs, ira & timore conſter-

consternata, seorsim factis excubijs tetendit: quæ res sicuti ducum ipsius q̃ etiam Basilidis autoritatem imminuerat, ità omnem etiam conficiendi belli rationem conturbauit, sublatoq̃ metu & pudore petulantiæ militari viam aperuit, adeo vt cunctis reditum in patriam magnoperè flagitantibus, totus prope exercitus flagitiosissimè solueretur. Igitur Basilides ingenti semper spiritu aduersæ fortunæ obuiam ire assuetus, apud cohortes concione habita monet vniuersos ne contra rempub. & legitimi Principis imperia faciant, neue turpibus transfugijs dissolutaq̃ disciplina signa deserant, sed de abolenda potius ignominia conficiendoq̃ bello, de diripiendis hostium castellis, deq̃ omni prædæ genere cogitent. Posteà sese vniuersis nequaquã demisso animo commendat; gregariorũ etiã militum confirmat animos, & præclarè ostendit ipsos ignominia inexpiabili natatos, si se de ipsis optimè meritũ in ea spe summæ victoriæ deseruissent. Proinde si Sacramenti militaris, si patriæ, si antiquæ virtutis obliuisci vellent, vt suæ ignauiæ obsequerẽtur, debere

eos

*eos nequaquam priuato paucorum arbitrio, sed publico cohortium omnium ac alarum consilio statuere, vt sibi honestissima ratione obsidionem soluere liceret. Acclamauere milites vt optime speraret, ipsos enim & de pudore suo, & de ipsius salute magnopere sollicitos nequaquam commissuros, vt conqueri de aliqua indiligentia cuiusquam posset. Nec multo post cum de bello ducendo sententiæ rogarentur, milites & belli duces vt in vnum voluntate ac animis iungerentur, nequaquam adduci potuerunt. Quod si Basilides masculè & fortiter in proposito semel suscepto perstitisset, hauddubiè bellum ex animi sententia absoluere potuisset. Sed credibile est aliud fuisse Dei consilium, qui eum his turbis inuoluit.*

*Nam & ipsi duces pessimis artibus bellum gerere, & de victoria inceperant desperare. Non enim satis agnoscebant, & quam esset exigua Casanensium potentia, & quam magnas facultates haberet Basilides instaurandi exercitus. Itaq; dum hæc expensa & deliberata initis rationibus explicantur, illudente fortuna Basilides impulsus à suis obsidionem soluit, & exigua*

*cum*

cum spe optata certaq; laudis per difficillimas inaccessarum syluarum vias & paludes canosas domum est reuersus. Interiectis deinde aliquot diebus ad concionem populum vocat; laudat perpetuam illorum tum in se, tum in patrem Basilium fidem: Sua in illos beneficia commemorat, vt numquam quasi subditos, sed veluti regni socios habuerit. Denique se illorum, non illos in Principis mores transisse. Nunc quoq; ait, custodiam corporis sui nequaquam peregrinis se, verum illis solummodo creditum. Quod verò ad propulsandi & conficiendi belli rationem attineat, non potuisse nunc illud ob perfidiosam militum ducumq; inconstantiam & leuitatem absolui: Se tamen operam daturũ, vt barbara hostium feritas feliciori aliquando tempore compescatur. Dimisso populo statim duo Sclopettariorũ millia in numerum satellitum legit, quibus & alimenta statuta & instrumenta armorum equorumq; data. Hoc genus hominum nomen habuit Aprisnæ. Ita inuicta militum manu septus non Basilides regio, sed hostili odio sæuire in suos cœpit. Maximè indignabaturquod gloriosam militiam seditionibus

*infuſceſſent. Propter quæ crimina omnes eos qui diſſoluta diſciplina transfugijs peſſimisq; artibus bellum geſſerant, interficere ſtatuit, inſignitiq; ſimulatione beneuolentiæ vſus, conuiuium iuxtà regiam magnificentiam inſtruxit, & Magnatibus ſuis ingentes epularum adparatus dedit. Sed cognito in caſtris ſingulorum animo, in vnam menſam, eos qui bellum diſſuaſerant, collocauit; aut conſumpturus eos, aut in vltimis terris in colonias diſtributurus. His quoque veſtem ex panno ſerico nigram dedit, vt cultus luxui par videretur. Quæ ne inuidioſius in illis tantum conſpicerentur, alios etiam veſtem longam purpuream accipere iußit. Neutris tamen non prius fatalis habitus omen, quam occiderentur, cognitum fuit. Sequenti die iterum populum in concione alloquitur, grauiq; habita oratione queritur ſuam lenitatem, beneficentiam, comitatem acerbiſſimis iniurijs remunerari: & quod eſſet in Moſchorum gente inauditum, paratas ſibi nefaria crudelitate in caſtris fuiſſe inſidias, ſceleſtiq; eius conſilij aliquos eſſe conſcios, qui in ſenatu Principis eſſent, quibus veniam ſincera fide eſſet daturus, ſi ſponæ*

*si sponte crimen faterentur: quod si pernegando id facere differrent, nequaquam postea captis & conuictis vllum veniæ locum futurum. Nec mora Senatores & belli Duces ad tribunal accedunt, supplicesque culpam deprecantur, quos sine respectu amicitiæ & dignitatis, Basilides in conspectu suo partim necari iussit, partim in subterraneas carceres tenebris ac odore tetro maximè horribiles separatim detrusit.*

*De militibus autem & alijs qui in castris tumultuati fuerant, in vltionem perfidiæ acerbissimè supplicium sumptum, adeò vt curribus per vrbem circumducti, carptimq; discerpti candentium forcipum morsibus, ac ad extremum strangulati in frusta secarentur, submergerenturq;. Ea seueritate tantum terrorem omnibus incussit, vt non in acie quam in conuiuio sedens terribilior videretur.*

*Tremere itaque omnes vniuersa regione cœpere, innoxiorum hominum casum miserantes, interdum se quoq; non debere melius sperare dicentes. Plerique enim in decernenda pœna mitiorem sententiam requirebant : Alij contingi ea crimina*

dicebant, falsoq; damnari insontes viros, vt occasio exercendæ tyrannidis iniquissima ratione pararetur.

Sed Basilides, apud quem nec iniustitia, nec regnandi libido vllo modo terminabantur, surdis hæc auribus percipiebat, reuocatoq; ad bellum animo, nihil actũ tot egregijs præliis dicebat, si incolumis Casanensium ciuitas & regnum relinqueretur, persequendosq; esse eos qui à sceptro Moschico defecissent. Ius de causis exercitum continuò recollegit, & maiores copias, quanta maximè potuit diligentia, comparauit, tantoq; impetu & celeritate Casanenses oppressit, vt quem redire non censerant, videre se vix crederent. Itaq; vrbs cùm vehementissimè tormentis quassata esset, tota diruitur, agri inter victores diuiduntur, captiui sub corona venduntur, quorum precium non ex cementum commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Et sicut ante secunda fortuna rebus suprà vota fluentibus tot de Moschis victorias Casanensibus attraxerat: ità nunc aduersa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ destruens, quà cumulauerat, priori ruinæ extremam

*mam calamitatem, & fœdum interitum adiecit. Ex devicta gente Basilidi aucta insolentia est, qui iuuenili ferocia numerum atque potentiam caterorum hostium vicinorum facile contemnens, post quartum deinde annum aucto & rebus omnibus abunde instructo exercitu ad ASTRACANENSES Tattaros est profectus, adeo promotis castris, vt præmisso leuis armaturæ equitatu, atque ex propinquo ostentatis castris, hostes opinione celerius opprimeret.*

*Astra Ganensium autem regio latissima est, ciuitates plurimas habet, quarum caput est Astracania, ad Volgæ ostia condita, vbi mare Caspium ingreditur, insulasq; multas facit, & spectantibus vastissimi alicuius Oceani magnitudinem repræsentat. Vltrà Nohaycenses & Casanenses Scythas hoc regnum extenditur, quod Basilides spe ingenti amplexus, secundissimo rerum omnium successu in ditionem potestatemq; suam redegit. Cum enim admirabili celeritate raptato exercitu Astracaniam peruenisset, aduocata militum concione, eos alacriter est cohortatus, vt postquam ad locum*

*præmiorum felicissimè delati essent, secum paullulum adniti vellent, impigreq; pugnare, vt mox tantorum itinerum incommoda ditissima vrbis spolijs resarcirent: His magno studio acclamantibus, & quo vellet se irrupturos sublata manu significantibus, aciem diligentissimè instruit, & omnes circumuectius præsenti eos animo esse iubet, atq; ità torrenti similis in vrbem prorumpit. Tattari quoque dissimulato metu, & ostentata vltrò cupiditate conserendæ manus in aduentantes Moschos confidenter erumpunt. Nouum enim quem Basilides adduxisset exercitum magnis itineribus fatigatum esse opinabantur. Itaque ad portas ciuitatis tumultuario atque inopinato congressu antecedentium equitum pugna committitur, ità ad tubarum cantum euocatis*
1554. *& coactis vtrinq; militibus, vt ardentius eo tempore concurri dimicariq; nequiuerit.*

*Sed Moschis cessere Tattari, nequaquam animis ac viribus pares, vtpote qui nihil tale timentes, veluti in insidias præcipitati, armatis instructisq; hostibus occurrissent.*

Potitus

*Potitus vrbe Basilides nulli ætati vel sexui pepercit, ingentiq; omnis generis hominum multitudine trucidata, captiuos baptizari iussit, cæteros qui obstinatius religioni Christianorum aduersarentur, continuò ibi discerpsit, aut in flumine submersit. Cum pulcerrimam eam à barbara gente victoriam & incrementa domesticæ potentiæ accepisset, suis pariter & exteris formidolosior indies euasit.*

*Nam Selymus Turcarum Imperator* An. 1568.
*Basilidis potentiam finitimis vndiq; subactis in immensum crescentem formidare cæpit, statuitq; bellum contra eum in interiorem Scythiam proferre, mira prorsus audacia, vt qui propria tueri debuerat, impugnaret aliena. Sed illius consilij non minus infelix exitus, quam commentum fuit. Persuaserat enim militibus suis, vrbes Scythiæ non mœnibus cinctas, non præsidijs munitas esse, sed in planis campis nudas & desertas iacere, quas potens aliquis victor metu excidij facile ad deditionem perducere posset. Nec in repentino Tattarorum metu modicum momentum victoriæ fore, qui tanto adparatu hostium perculsi iugum*

facile assumpturi sint. Accessura & villarum incendia, & castellorum oppidorumq; repugnantium direptionem, tum ipsius Astracaniæ obsidionem. Quibus omnibus non Turcis tantùm in hos gentes, sed & in ipsos Moschos sentient patere bella. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam vberiorem inueniri posse. Nam capta Astracania omnes ditissimorum mercatorum thesauros, ipsumq; regnum præmium victorum fore. Gloriam certè tam honestæ militiæ in omne æuum futuram, vt dicatur eos soles Ottomannorum esse, qui dedecus, quondam ab Tamberlane acceptum, ad hostes transtulerint, vltroq; inimicam gentem obsederint. Omnibus igitur forti ac alacri animo bellum ineundum, quo nullum aliud posit, aut præmium victoriæ vberius, aut victis monimentū illustrius dari. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur, sed terrebat eos longinqua profectio; cuius rationem non minori cura Selymus, quam belli reddebat, adfirmans se cum periculum vrgeat, neq; ipsos milites neq; ipsorum salutem esse neglectus tum. Itaq; ad mandatum Imperatoris

vni-

uniuersæ naues bellicæ, consentiente exercitu militibus impletæ, & lectissimæ validæq; Ianizarorum legiones contrà Tattaros missæ, tanto & tam terribili adparatu vt 13. Cal. Apr. supra CCC. hominum millia Byzantio discesserint. Addiderant his copijs Precopienses quadraginta millia Sagittariorum & selectissimas equitum alas. Tantæ barbarorum copiæ ad Mæotidis paludem delatæ, statim Azophum ingressæ sunt: atq; hic milites ad profectionis necessitatẽ rebus omnibus comparatis, frumento q; & stipendio instructi, statui præsentis fortunæ sese accommodarunt, cætera ab hoste melius, quam à socijs consequuturi. Porrò Turcarum exercitus Azopho digressus ad V. VIItembris diem Astracaniam peruenit, & eam ciuitatem grauissima statim obsidione pressit. Tunc igitur Moschos stupor & admiratio incessit, vnde tanto conatu tàm subitum bellum, præsertim ab hoste antè non cognito. admiratio deinde paullatim in contemptum Turcarum vertitur. Fuerat relictus à Basilide in tutelam regni SEREBRINVS regulus fide & virtute bellica insignis. Is hosti populanti Astracaniæ agros

ad Volgæ ripas occurrit, cumq; occasionem conferendo prælio præbuisset, semel iterumq; prosperè dimicauit. Nam Turcæ alimentorū inopiâ segniores redditi, ad bellum etiam minus idonei videbantur esse, & cum his Serebrinus ità rem gerebat, vt nihil sibi commodius existimaret, quam seruare atq; augere in vrbe copias, cunctari in idoneis locis, omnemq; importandi commeatus viam intercludere. Inclinabat enim se autumnus illis in regionibus, hyemi quàm æstati similior: nec differri poterat diutius obsidio, quoniam vrgente in brumam tempore grauior indies ac sæuior tempestas esse consueuisset. Processerant iam hostes vastabundi vsq; in proximum Volgæ littus, maiore profectò animorum peruicacia quam bellica fortitudine, ità vt pilæ eorum tormentis emissæ ad ipsam vsq; vrbem peruenirent. Non tulit eam ignominiam Serebrinus, cum aduolare hostes barbara feritate conspiceret, eosq; sub auroram primam cum suis adortus, concisis vndiq; obuijs ità conterruit, vt deserere impedimenta, & metu extremæ cladis fugæ sibi consulere congerentur. At Serebrinus ingenio ferox & præproperus cum fugientes

conf-

confidentius persequeretur, adeò cautè ac feliciter conflixit, vt cum vix primam impressionem Turcici pedites sustinerent, omnes prædantium cohortes fædè dissiparentur cæderenturq;. Periere in receptu parum decoro vel dum fugam suorum sisterent, illustres alarum duces, & Turcarum aliquot millia. Ea clades eo grauior & luctuosior hostibus fuit, quod multorum dierum interuallo classem sociorum maris Caspij aduerso fluctu impeditam nondum viderant, nec iam habebant vnde copias repararent, tot præsertim equitibus Cataphractis & tot Ducibus in vnius maximi prælij calamitate amissis. His cognitis rebus Serebrinus, tametsi eam cladem Turcis, quod alienum regnum adfectassent, meritò accidisse prædicabat; nihil tamen ea victoria lætabatur. Dolebat enim crudelissimis hominibus certè exitium, extremamq; ignominiam nondum esse illatam. Ob id secretò Moschos ad Volgæ ripas habitantes hortabatur, ne animo deficerent, suamq; pristinæ infractæ virtutis atq; constantiæ existimationem tueri vellent. Se enim intellexisse classem Turcicã iam mare Caspiũ secundissima tempestate enauigasse.

Prouin-

*Prouidendum igitur esse ne commeatus, instrumenta bellica, & cætera extremæ necessitati profutura, ad hostem in castra deuehantur. Moschi ea de re certiores reditti, aduentantes ex nauibus Turcas ad ipsa Volgæ ostia aggrediuntur, rebellantes expugnant, prædas agunt, & multa millia trucidant. In isto tumultu multæ submersæ naues, multæ captæ sunt. Itaque cum terra mariq; eadem fortuna pugnarent, cumq; superioribus malis tantus arumnarum cumulus accederet, fugam maturare cœperunt. Pedestribus autem & equestribus copijs felix iter non fuit, siquidem quotidiano labori etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem, tantaq; foeditas morientium fuit, vt viæ cadaueribus implerentur, alitesq; & bestiæ, esca illecebris sollicitatæ, exercitum sequerentur. Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ sortis varietate miranda, exercitum qui propter multitudinem terræ grauis fuerat, iam foeda trepidatione deformem, inq; fugam actum videre. & eo quidem tempore pro Moschorum dominatione indulgentia*

Dei

Dei, diligenter excubare visa est. Nam & tormentarium puluerem Azophi ad belli necessitatem asseruatum cœlestis flamma absumpsit, oppidumq; & arcem prodigioso impetu pene funditus euertit. Exercitus reliquiæ Byzantium renauigaturæ, in Maotidis palude naufragio absumptæ sunt. atque id bellum opinione omnium faciliorem exitum habuisse est visum: adeò vt nusquã minore cum commodo, vel maiore cum ignominia Turcæ conflixerint.

Astracanij igitur, sicut & Casanenses, Basilidis titulos auxere, qui statim Tatarorum Imperatorem salutari se iussit, potentiaq; sua magis magisq; confisus de bello Liuonienſe cogitare cœpit, vt Oceano vltimisq; terris finiret imperium. Nec ferocì ingenio alta atque ardua meditanti fortuna defuit. Per multos enim annos incredibili hominum multitudine crudelissimè occisa, Prouinciam eam sic adflixit, vt nulli ætati vel sexui, nullis templis & aris, nullis vrbibus & agris, imò ne mortuorum quidem cadaueribus parceret. & adfirmare equidem ausim, nullam sub clarissimo sole regio-

regionem esse, ad quam tantus malorum omnium cumulus vmquam penetrauerit. Liuonia regio est latissima & fertilissima. Patet in longitudinem milliaribus nonaginta Germanicis. Latitudo verò illius non supra quinquaginta milliaria dilitatur. Melle, corio, cera & lino frumentoq; abundat. Ab ortu Moschis vicina est, à Septentrione cum Gothis, quos nunc Suecos appellant, continens est. Ab Occasu mari Balthico siue Germanico terminatur. A Meridie Samogitiam & Lithuaniam respicit. Gens in hac Prouincia aliquando immanis & barbara fuit, Sed Germanorum commercio ad humanitatem est exculta. Illi enim non contenti terris in quibus geniti erant, cum opum cupiditate emenso Oceano in hanc Prouinciam delati essent, Friderici Primi Cæsaris temporibus domicilium in ea ponere, & cum populis longo terrarum interuallo à Germania remotis, societatem facere caperunt. Posteà deceptis simplicibus summas sibi opes in hac regione comparauerunt, assumptoq; ex diuitiarum magnitudine maiore spiritu, vrbes clarissimas condiderunt,

ad

*ad quas ex alijs quoq; regionibus mercaturæ faciendæ gratia homines confluxerunt. Ab eo tempore Liuoniæ aduenarum Germanorum Marianorumq; militum inuicta sedes fuit. Indigenæ olim simulachris dediti erant, & ijsdem, quibus reliqui Sarmatæ, moribus vtebantur, omnesq; ad vnum pestiferis opinionibus corrupti deprauatiq;, Deum rem esse inanem, & commentitiam existimabant. Venit tandem ex Lubeco Saxoniæ metropoli B. Meinardus, vir diuinæ prudentiæ fama, & singulari probitatis opinione clarus, qui Liuones ad veram CHRISTI notitiam instruxit, & in numerum diuorum vt viuens referretur, publico consensu meruit. Eo defuncto Bertoldus Cistercienſium Abbas, ab excellenti doctrina ac vitæ continẽtia ac honestate omnibus acceptabilis, studium propagandæ religionis susceptit, qui in sacris concionibus, & in priuatis colloquijs ità multitudinis animos opinione virtutis coperat, vt illum rerum omnium, quæ imminebant, verum VATEM, diuinumq; deprauatæ Religionis censorem Cœlo missum crederent. Is omnis generis hominum*

*sexusq;*

*ſexumq́ & ætatis multitudine collecta blaſphemis barbaris bellum facere conſtituit, vt quos voce non poterat, eos metu ſupplicij ab impietate & ſcelerum adminiſtratione reuocaret. Eo vnico miſer, quod verbi diuini curſum gladio promoueri poſſe cogitauit. Coactis copijs, amicorumq́ ſtudio, fauore plebis & armis valde egregiè munitus in bellum proficiſcitur, ſtatimq́ in prima acie confoſſus miſerabile & fortaſsis indignum tãta virtute immanibus barbaris ſpectaculum præbuit. exemploq́ ſuo mortales docuit, non debere ſacratos homines à religione rerumq́ diuinarum contemplatione ad munia regendarum rerumpub. tranſire. Vera enim pietas non tàm armis & bellico adparatu quàm ſincera doctrina virtute & innocentia propagatur, nec opus eſt vt quisquam pro Deo pugnet, cùm ille ipſe omnia terrarũ ſola terribili potentia conquaſſare, & omnes campos ſternere poſsit cadaueribus impiorum. Marianis militibus verò tantum abfuit, vt ea Bertoldi calamitas, vetus ſtudium alacritatemq́ pugnandi minueret, vt plerique anteà parum animati, vltrò in partes tranſirent, audacteráq́ aduerſus*

*ſus infideles barbaros, à quibus maior adhuc Liuoniæ pars impotenti quodam iure, vſurpata tenebatur, inimicitias ex profeſſo, bellumq; ſuſciperent.*

*Nam & Gregorius IX. Pont. Max. ſua interpoſita inſigni authoritate pium bellum promouendum ratus milites Liuonienſes cum Boruſſicis, quorum tunc Magiſter erat Conradus, ſtabili decreto coniunxit, vti in eadem cauſſa pari negocio implicitis. Intelligebat enim acutiſſimus Pontifex Liuonienſes ſolos nulla tum dignitate fruſtrà barbariem oppugnaturos, niſi alios Principes, qui præclare eiuſdem impietatis hoſtes forent, omninò quæſiuiſſent. Hanc autem religionis inſtitutionem à tempore D. Meinradi, qui primus iſtis nationibus colendi numinis rationem monſtrauit, ad hæc noſtra tempora continuatam ſummo ſemper ſtudio Chriſtiani, qui in Liuonia ſedem conſtitutem habent, diligentiſſimè tenuerunt. ità amplificata Dei notione, Sacratorum quoq; hominum ordo anguſtior indies factus eſt, & ferè imperij ſumma penes eos fuit. Riga archipræſulem ſemper habuit, quorum è numero*

& illum fuisse constat, qui summa iudicij seueritate in concilio Constantiensi de Husso mortis sententiam pronunciauit. Post hunc Derpatensis, Habselensis, Curlandicus, Oselensis & Reualiensis magnam prouinciæ partem possedere. Ea septem omninò satrapias habet. Leitlandia Rigam prouinciæ caput, & multas alias arces & oppida munitissima complectitur. Viclandiam Habselensis olim episcopus imperio continuit, ea nunc Gothis paret. Curlandiæ Semigalliæq; Dux Gothardus imperat. In Estlandia, Virlandia Hariaq; & Geruenlandia Gothi dominantur Hariæ caput est Reualia, Virlandiæ Nerua. Estlandia Felinum, Tarnestum, Leidum, Oueropolum & Carcausum munitiones; Geruenlandia Vitensteinium habet. Tres nunc longè maximi reges in Liuoniæ imperium tenent. Magnam eius partem Gothi possident, maximam Poloni, quorum rex triennali bello pro hac prouincia contrà Moschos depugnauit, minimam partem Danus habet, quæ & ipsa nunc in Polonorum potestatem ventura putatur. Cardinalis Georgius Radiuilus pro rege Polonorum nunc in Liuonia rerum potitur. Primum

huic

*huic genti ex discordia natum est malum, quod quomodo acciderit, & quando Basilides in Prouinciam penetrauerit, omninò dicendum est. Fuit Liuonia Marianorum militum Teuthonici ordinis antiquum domicilium, sed in duas dissecta partes, quarum altera magistratui ecclesiastico, archipræsuli nimirum Rigensi, & quatuor alijs parebat: altera à Magistro ordinis regebatur. Hic cum illibatam patriæ libertatem defendere statuisset, peregrinosq; in Prouincia Principes nullo modo ferre posset: ille vero Christophorum Ducem Megalburgicum de consensu collegij ad archipræsulis dignitatem euehere omninò niteretur, atque ideò in suspitionem apud plerosque deueniret, quasi Marianorum sociati detrimenti aliquid adferre conaretur, populi opinionibus dissidentes, odijs etiam, quod consequens erat, discissi sunt. Sic Liuonia in diuersas factiones discurrentibus Ducibus in sua viscera armatur, ferrumq; ab hostili bello in ciuilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa cæsura. ORDINIS Magister erat*

Guielilmus Furſtenbergius, is ſolerti indu-
ſtria magnas copias parabat. Nam & no-
bilitatem omnem inſigni moderatione in fa-
uorem ſui ſollicitauerat, factusq; iam tan-
tus erat, vt non tam timeret hoſtes, quam ti-
mendus ipſe hoſtibus eſſet. Adiutores ei
erant epiſcopi tres, Reualienſis videlicet,
Derpatenſis atque Habſelenſis. atque hi par-
tim antiquo fœdere, partim animi leuita-
te metuq; adducti in partes Magiſtri de-
ſcenderant.

Quæ res tantum animorum Furſten-
bergio dedit, vt cum ingenti exercitu Mar-
chionem Guilielmum Brandeburgicum,
tum temporis ſacrorum Principem petere
auderet. Marchio tametſi Reges & Prin-
cipes finitimos ſanguine obſequijsq; deuin-
ctos haberet, amulumq; ſublatum, & vires
eius concuſſas valde vellet: Tamen ne mi-
litem ex ſubditis conſcribere poſſet, Fur-
ſtenbergius faciebat, qui iniecta vetuſti fœ-
deris mentione obteſtabatur omnes ne pare-
rent. Igitur præſul in tanta rerum confu-
ſione hoſtibus impar viſus eſt, deſperatisq;
rebus in Caconhuſum munitiſſimam arcem
conceſſit. Quod cum Furſtenbergio nun-
cia

ciatum esset, instructis copijs Marchionis di-
tiones inuadit, & resistente nemine, obuia
quæq; diripit, ipsumq; Principem Cacon-
husiæ arcis mœnibus tuentem se, obsidione
cingit. Iamq; ea summis viribus oppugna-
batur, neque dabatur obsessis aliquod laxa-
mentum, fuitq; oppugnatio totum octidu-
um continuata. Ipsum autem præsulem
nec grauissima obsidio, nec stationes hosti-
um munitæ, nec aggeres excitati, nec tor-
menta disposita, nec acies instructæ terrere
poterant, nisi annonæ penuria & fame ad
faciendam deditionem compulsus fuisset.
Cum enim casus ille præter exspectationem
accidisset, ab omnibus rebus imparatus erat,
quæ sunt ad obsidionem ferendam necessa-
riæ: Præsidiumq; ipsum erat fame, situ, la-
bore, peruigilio confectum, crebrisq; vulne-
ribus impeditum, vsque adeò vt vix esset
quisquam, qui telum vibrare posset. Ca-
pto itaq; archipræsule victoria penes Fur-
stenbergium fuit, sed non admodum diu.
Marchio enim Guilielmus anteà Poloniæ
regem S. Augustum per litteras admonu-
erat, vt subsidia summa celeritate com-
pararet. In Germaniam quoq; nuncios

miserat, quì Ioan. Albertum ducem Megalburgicum, Christophori fratrem, aliosq; principes ad arma cohortarentur. Marchio quin etiam Albertus, qui tunc illustre admodum in rebus bellicis nomen obtinebat, Prussiæ populos, quorum dux erat, ad arma conuocârat, qui collectis Germanorum legionibus, ad suæ ditionis fines proximè Curlandiam castra locauit; omnesq; certatim ad auxilium adferendum se comparabant. Poloniæ rex cum quinquaginta militum millibus expeditionem susceperat, principisq; Marchionis libertatem bello vindicandam ratus, eo loco castra collocauerat, vbi Liuonia Lithuaniæ continens est. Contrà Furstenbergius validas Germanorum manus ex Lubeco in prouinciam introducebat, clientes armabat, & apertis occultisq; præsidijs tota regione collocatis, sese aduersus hostium vim & veterum inimicorum iniurias egregiè muniebat. Erat populus Liuonienſis ingenti metu perculsus, & inprimis viri nobiles eo periculo vehementissimè terrebantur; quod aduersus vicinum & potentissimum regem, atque eundem etiam qui paullo ante ab omnibus Rigensis diœcesis defensor fuisset

*ſſet appellatus, ingratiſſimè & inconſideratiſſimè arma ſumpſiſſent, legatum ab eo miſſum ludibrio habuiſſent; & denique propinquum ipſius Principem omni fortuna exſutum in modum captiui detinuiſſent.*

*Quibus de cauſis cum veluti deſperata venia animos deſponderent, & propterea obſtinatius defenſionem pararent, vbi per occaſionem poterant, optimos quosque in exercitu Regis precibus ſollicitabant, vt illius animum egregiè delinitum ad pacem inflectere vellent. Putabat enim Farſtenbergius nihil homini petenti excelſa, & præſertim in iſta belli fortuna verſanti, vel vſu melius, vel expeditius eſſe, quam duabus omninò ſellis ſedere, ſi abſque certo periculo fieri poſſit. Quoniam nihil vmquam ex toto in alterum aleæ euentum ſapienti periclitandum eſſe videretur. Tandem Cæſaris Ferdinandi & Daniæ regis interceſſione pax ipſis ad Pozuolum data eſt, iſtis quidem conditionibus, vt confeſtim præſulem liberum facerent, eique bona redderent omnia, militique Polono ſtipendijs ſolutis*

ab armis discederent. Ita Liuonien-sium, nouercante fortuna, maxima Prouinciæ pars cum Christophoro Megalburgio in Polonorum potestatem peruenit. Nec multo post ipse Ordinis Magister Furstenbergius in arce Felino à suis, quibus stipendia soluere non poterat, desertus, & à Moschis captus admodum fœdum & ignominiosum vitæ exitum sortitus est. Cæterum Basilides Polonici belli felicitatem admiratus, statuit eandem prorsus contra Liuones belli fortunam experiri. Igitur Derpatensibus, quia viciniores essent, pecuniam imperat, maiorum suorum ius & dominium in Prouincia caussatus, quam nisi subitò dissoluerent, bellum longè grauissimum eis minabatur, dicebatq; Dunam fluuium suo sub imperio, fontes habentem se in potestatem recepturum, nec fefellit crudelissimum hominem euentus.

Erat Moschorum nomen Liuonibus, pariter & Polonis atque Germanis admodum formidabile, eratq; propterea in Prouincia tumultus ingens & magnus fiebat vndique ab omnis generis hominibus concursus. Quoniam autem cœpta sine certo consi-

consilio fortuna plerumque destituit, quid contrà eum hostem agendum sit, accuratè deliberant. duces nequaquam iusto prælio quidquam eo tempore tentandum esse censebant, vtpote qui iam propè fractis bello Polonico viribus tutiorem repugnandi occasionem expectarent, & pro comperto haberent tàm validas ab hoste conscriptas esse legiones, eaq; audacia militari in bellum iturας, vt nulli perito dubium esset, quin vel semel per vim ingressis multò maximæ peruadendi in Prouinciam viæ aperirentur. Sed multis rebus frustrà tentatis, reliquæ spes omnes ad mittendos legatos reciderunt, quorum felici & spectata multis in locis industria tyranni animus paullatim mitigaretur. Nec sanè defuissent huic consilio euentus, nisi legati sua quadem leuitate immanissimi Principis animum vehementius irritassent. Quippe cum pecuniam se adtulisse profiterentur, nec tamen, cum ad rem ventum esset, eam reponere possent, nec forte vellent, ille incredibili furore correptus, concesso prius legatis in patriam reditu, ingens Liuonibus bellum fecit, nec longa interposita quiete, cum nullam à milite vel

*durissimæ hyemis, vel difficilium itinerum, vel alicuius defatigationis excusationem reciperet, ad Vessenbergum & Neruam magnis itineribus contendit: tanta celeritate incitatis ad festinandum omnibus copijs, vt neq; viæ militares admodum lutulentæ, neque inflati amnes, neque longissimæ noctes quidquam impedirent, quo minus tormenta ænea non modo legionibus in cursu, sed ipsis etiam equitibus æquarentur. Etenim nuncios omnes & literas, & totum deniq; sui famam incredibili celeritate præcurrebat, cum etiam à Derpatensi præsule, qui ex aliorum tumultibus exitialem patriæ inuidiam conceperat, ad maturandam profectionem esset inuitatus. Accidit id quo nihil ætate nostra crudelius in re bellica fotasse contigit; vt nulli prorsus sexui, nulli omninò ætati parceretur, sed omnia miserabili cæde & hominum laniena complerentur. Tyrannus enim cum nouum sibi in Liuonia imperium sæuo ac impotenti animo destinasset, omnibus prope districtus Derpatensis nobilibus immani crudelitate trucidatis, alios etiam incolas ità adflixit, vt Liuones, exsu-*

exſuti oppidis, actiq; in exſilium, per Lithuaniam atque Prußiam vagarentur: Lithuani verò, qui hoſtis feritatem nondum ſenſerant, vicinorum ciuium funeſtam ſtragem lugerent. Sub idem ferè tempus Carolus V. Cæſar apud Hiſpanos è vita diſceſſerat, An. 1558
cuius frater Ferdinandus, ad quem rerum ſumma delata tunc erat, Auguſtæ Vindelicorum cum Septemuiris & Imperij ordinibus celeberrimum comitcium habebat. Miſerat huc Liuoniæ Magiſter ſuum legatum, Georgium Siburgum, præfectum Duneburgicum, vt auxilia aduerſus eam Moſcborum impreſionem & ſuperbiam, ab Imperio & ordinibus poſtularet. Illi enim ſuperiori anno Neruam oppidum, cum ibi incendium ortum eſſet, facta repentina eruptione ex altero oppido Iuanogrodo, quod vltrà flumen, eodem Naruæ nomine appellatum, in dextra eius ripa ſitum eſt, occupârant, & iam octo amplius menſibus omnem tyrannidem & nefariam crudelitatẽ in tota ditione exercuerant. Legatus autem quamquam pro ſuo præſtanti ingenio & doctrina nihil planè intermitteret, quod ad cauſſam pertinere videretur, perexiguã tamẽ auxilij ſpem

*ſpem accepit. Sic enim ſunt hominum animi vt vicinorum incommodis non magnoperè commoueantur, ſeq; ſibi proximos eſſe omnes putent. Exciuerat interea ſuas è Liuonia copias Baſilides, vt Tattaris intrà ditionis Moſchicæ ſeſe oſtendentibus obuiam iret: ijs demum ſecundo marte profligatis & pace compoſita, cum ingenti multitudine in Liuoniam reuerſus, oppida & arces vbicunq; potuit, occupauit: agros latrocinijs & incendijs crudeliſſimè deuaſtauit, & veluti tempeſtas quædam obuia proſtrauit: tandemq; Velinum oppidum, in quo Magiſter Ordinis Guilielmus Furſtenbergius erat, obſidione cinxit. Ibi vero coëuntibus in vnum perfidiæ decretum præſidio & militibus, fædiſſimè ſe atque oppidum cum Magiſtro dediderunt, vita tantum impetrata, ità vt exſuti armis extrà fines pellerentur. Baſilides Felino potitus, & paratis tormentis, quæ Furſtenbergius plurima & maxima habuerat, bellum funeſtiſſimum viginti amplius annis circumtulit, indeq; vti planè victor oppugnandis oppidis deijciendisq; præſidijs totam eam regionem eſt peruagatus, & Liuones omni penè illa*

*ne illa veteri bellicæ virtutis opinione ſpoliauit. Duæ tantum ciuitates Reualia & Riga barbari hominis gladijs effugere. Et Reualiam quidem ſemel atque iterum omni conatu, totis viribus, & ingenti exercitu oppugnauit. Nam & Magnum Cimbrorum Ducem, qui ampliſſimis promiſſionibus & rerum maximarum cupiditate adductus, relicta patria in Moſchouiam venerat, huic bello immiſcuit, ſub cuius nomine multis etiam oppidis & arcibus inſidias ſtruens immanem perfidiam & dolos Græcos feliciſſimè exercuit, & Magnus quidem Cimbricus cum validiſſimo exercitu magnoq; tormentorum adparatu Reualiam oppugnare eſt adortus. Sed ea res ſummas habuit difficultates defendentibus vrbem longè fortiſſimis Germanici ſanguinis ciuibus. Non enim, ſicuti ipſe Baſilides eum facturum ſperauerat, oppidum ſubegit. Igitur à vi ad fraudem & inſidias confugiens, inſignioris cuiuſdam humanitatis ſpecies ciues ad deditionem faciendam compellere ſtatuit, ſed cum nec iſta via quidquam profeciſſet, Baſilides moræ impatiens crudeliſſimis artibus bellum gerere cœpit, & tres maximos exerci-*

exercitus per totam prouinciam dimisit, et consilio vt omnes incolas perderet, cum omnibus rebus imparati nequaquam satis maturè occursuri viderentur, quando nihil minus putassent, quam isto tempore bellum se gesturos aduersus eum, quem longissimis locorum interuallis remotum, & desertis in syluis habitantem, tota ea regione magnè perè contempsissent. Tunc summos pariter atque infimos trucidauit fugauitq; : tunc muris inclusos homines flammis cremauit; tunc Derpatum, Neruas, Felinum, Veissosteinum, Coconhusium, Ascheradum, omnesq; totius Prouinciæ primarias arces diuersis temporibus occupauit, semel oblata rei benè gerendæ occasione ità cõtumescens, vt in miseros conuicia etiam iaceret, tantum eos degenerauisse à maioribus affirmans, vt cum multis seculis murus prouinciæ ciuium virtus fuerit, tunc ciues saluos se fore non existimarent nisi intrà muros latuissent. Omnes enim armis diffisi, vicinorumq; quasi incendio territi latebras circumspiciebant, adeò vt multis transfugijs passim vrbes arcesq; desererentur; neq; de victoria repellendiq; hostis ratione, sed de eius

tantum

tantum potentia, deq; perpetuo suo exilio cogitarent. Et tantis quidem circumiectis undiq; & prementibus ex propinquo malis, miseri homines diffisi viribus suis haudubiè totius prouinciæ imperio cessissent, nisi eos in ipsis belli consilijs hæsitantes ad spem ingentium victoriarum paucorum virorum inuictus animus erexisset. Fuere illi Andreas Sapieha apud Lithuanos illustri genere natus, & Ioannes Buringus à Brunoni suicanorum oppido Helmstadio, in quo nunc Academia Iulia floret, oriundus, qui paucos ante annos splendidissimi viri Ioannis Chodneuicij scriba fuerat. Gothorũ nomina, qui in hoc numero fuerunt, nondum à quoquam cognita habere potui, alioqui & ea in hoc volumine adscripsissem. Vigilantissimi isti homines cum immanis tyranni superbiam animo ferre non possent, miserorumq; salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille iam nimium diu crudeliter hauserat, necessario commouerentur, strenuis & constantibus animis acceptas iniurias vlcisci properauerunt. etsi autem neq; tormenta, neq; militem magnum, neq; vllum omnino iustæ expeditionis adparatum haberent; tamen multis in locis maxi-

*maxima Moſchis detrimenta intulerunt, ità vt ad veterem bonisq; omnibus exoptatam libertatem plurimum momenti illaturi fuiſſe viderentur, ſi ipſorum inſignes conatus alij etiam pecunia & auxilio adiuuiſſent. & ne quid de cæteris dicam, certè Buringi virtutem adeò intemperanter fortuna extulit & exſtinxit, vt cum paucis mortalium vltroq; vultu velocius atq; vehementius luſiſſe videatur. Sæpe hoſtium caſtra, conſilia, vires, ipſe audaciſſimus explorator cognouit: Sæpe eos in tentoriolis torpentes, & gelidos ſubitò adortus, latè cecidit & repulit: Sæpe quinetiam ſtratagematis & callido ſenſu vſus validiſſimum exercitum paucis expeditis equitibus vexauit, arcibusq; & oppidis ditiſſimis potitus eſt. Nam & Vendam aliquando, & Nitouum, & Tridum Erligumq; & Arteſtum, & Schurum, & Burtenicum, & Remſelum, & Cleuropum, & Nabbum & Vinſetum alias q; in Liuonia arces tenuit, nonnullasq; iam oppugnatas & obeſſas hoſtibus de manu extorſit, eorum præſidia deiecit, oſtentataq; vltrò cupiditate conſerendæ manus, barbaros curſu aut fugauit, aut perſecutus eſt.*

*Quibus*

*Quibus rebus & in fama terroreq; hominum fuit, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit, nec in conuiuio, sed in campo: non in vacationibus, sed in exercitationibus; nec inter cantharos, sed inter æquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendit. Liuoniam interdum cum quibusdam amicis, tacitus à suis profectus, nemine sciente peruagatus est: omniumq; vrbium situs ac viros cognouit, cuius fortitudinem Deus singulari quoq; incolumitate condecorauit. Nam neq; animi magnitudine abiectus, victusue, neq; assiduis laboribus fractus, nec vllo aduerso casu territus, nec telis quidem, quæ sæpe in ipsum ab hostibus congerebantur, læsus: tutum semper emergendi euentum habuit. Sed publica fama, consecrata hominis virtus, nulla priuata laudatione indiget. His tantis rerũ successibus ingentem sibi apud multos inuidiam conflauit, acciditq; post non longum tempus fortuna spes eius eludente, vt leui de caussa à Sarmatis quibusdam circumuentus & captus Vilnam in carcerem deduceretur, ex quo delusis custodibus discessit, & in Liuoniam reuersus est, ibi cum*

meritis ab inuictissimo Polonorum rege laudibus & præmijs esset ornatus, arcano Dei consilio in aliud longè grauissimum periculum est coniectus. In conuiuio fortè cum Stedingo quodam sedebat, ille cum veterem erga Buringum odiorum memoriam in animum induxisset, non obscura exercendi homicidij initia quærere cœpit, arrogantique habita oratione acerbissime eum criminatus est, & vterque tandem adstrictos gladios peruenit. Ille ne pristina existimatione spoliatus discessisse videretur, cum prouocante Stedingo in pugnæ certamen descendit, & ne ab aliena virtute vires mutare videretur, ministris suis vt discederent, præcepit mox à Stedingo eiusq; satellitio circũuentus, cum solus plures sustineret & caderet, pugnacissimus vir lethale vulnus accepit, & ipse eodem momento aduersariũ telo transfixit, qui confestim exanimis concidit & exspirauit, Nec multò post ipse Buringus in lugubri victoria funestaq; victoria confossus interijt, cuius fortunæ varios euentus sigillatim in hoc volumine referre non possumus, nam ad rem redeundum est. Basilides sicut sub Sigismundo pessimis artibus &

in cre-

incredibili crudelitate bellum in Liuonia gesserat, ità illud Stephano principante confidentius etiam persecutus est. Ille enim cum extremis in finibus regni inter Prussos necessario versaretur, Moschus fraude potissimum & conspiratione adductis in potestatem regijs subditis, in libertatem, liberos, coniuges, vitam ac sanguinem Christianorum hominum immanissimè flamma ferroq; grassatus est. Nec verò commemorare attinet, quàm multa millia horrendo mortis genere sustulerit, quàm varijs & exquisitis supplicijs membra humana laceraverit; quæ fœdis & ignominiosis stupris honestas matronas & virgines contaminauerit. Cum enim Ascheradum debellauit quingentas puellas nobiles earúq; matres ferocibus Tattaris in suo conspectu vitiandas tradidit, quarum flebilis clamor per longissima locorum interualla ità exauditus est, vt ipsi etiam flores et agri lamenta fundere viderentur: Eaq; res factum est, vt Vendenses fœminæ, quæ à tyranno obsidebantur, et eandē planè miseriā & fœditatē timebant, in templo vnanimes congregarentur; inuocatoq; sanctissimo Dei numine & animis expiatis se ipsas viuas Anno 1577.

concremarent, ità vt subditis ignibus, exardenteq; intus tormentario puluere, totum fanum radicitus conuulsum flammarum violentia in sublime iaceretur. Certè tale monstrum, quod durius miseros homines adflixerit, numquam in terris extitisse omnes testantur historiæ, si qui omni scelere notabiles fuerunt tyranni, cum fera & immani istius bestiæ truculentia comparentur. Namquæ de Nerone, Caligula, Domitiano & reliquis pestibus humani generis scripta leguntur, ludum iocumq; dixeris præ insana huius rabie. Iucundissimum enim tum fuisse putabat spectaculum, cum quouis prætextu & fictis obiectis criminibus, homines insontes aut impiissimè mactarentur, aut membratim discerperentur. Sed missis veteribus audiamus nunc facinus illius aliquod recens perpetratum. Habebat in Moschouia ex ingenti captiuorum multitudine Vendenses & Ouerpolitos & Caconhusios aliosq; trecentos septuaginta & octo. Hoc cum sceleri suo superesse videret, metueretq; ne diutius viuendo forte canescerent, anno supra Mill. quingent. septuagesimo octauo paratos esse omnes, inq;

concio-

concionem venire iubet, recogniturus & numerum captiuorum, & in captiuitate fortunam singulorum. Itaque cum inter cæteros & ipsæ præsertim fœminæ cum paruulis supplices adsisterent, tyrannus simulat se libertatem omnibus daturum, iubet interrogare singulos, an ad sedes aliquando patrias requirendas proficisci cupiant? Hæc quoniam adflictissimis anteà hominibus, grata videbantur esse, grauissima se testificatione obstringunt, non prius, quàm veniam impetrassent reuersuros: tantùm sibi vel de felicitate sua, vel de benignitate Principis spondentes. Desiderio enim magno videndi patriam & aras tenebantur. Quæ res initium interitus, & crudelissimi supplicij caussa & origo fuit. Itaq; quasi Principis maiestatem & ditionem contempsissent, daturi videlicet infelicissimæ responsionis & fortuitæ vocis pœnas, statim damnantur. Ortæ tunc sunt querimoniæ miserorum, viduæ & pupilli, senes, pueriq; & virgines lamentabilem quiritatum edidere, & effusis plorauere lachrymis: Sed risit interea Basilides, cuius iussu viri & fœminæ & paruulorum turba ciuitate edu-

-cti, contrà omnem humanitatis rationem nefariè & flagitiosè interfecti sunt. Cum ad supplicij locũ peruentũ esset, hymnos lingua patria & flebili voce cecinerunt, quibus sanctissimi numinis opem in vltima rerum linea implorabant. Posteà raptæ sunt ad stuprum virgines & puellæ, quæ vim & libidinem a corporibus suis neq; precibus, neque ingentis pecuniæ promissis cohibuerunt. Demersus erat in flumine Neglinna ingens palus, cui superstratus paruus pons fuit, in illo crudelissimus carnifex & insontium mactator stabat, clauaq; ferrea ità singulorum ceruices feriebat, vt statim decideren t, & rapido altissimi gurgitis impetu absorberentur. Ità nimirum gemino mortis genere tyrannus siue furore cæcus, siue barbara immanitate ductus, siue odio gentis Germanicæ efferatus, in promiscuam imbecillium multitudinem grassabatur, & quasi iucundissimo voluptatis sensu frueretur, cum Iuano & Phœdrone filijs (Ioannem & Theodorum nos vocamus) toto die cædium spectator erat: ex quibus minor natu, qui nunc rerum potitur, vel rei indignitate

tate motus, vel etiam commiseratione plorantium & gementium adductus, cum Mikyta Romanouicio, præcipuæ nobilitatis viro in vrbem reuersus crudeli spectaculo abstinuit. Quædam verò Germanici sanguinis puellæ, eximiæ venustatis, cum eodem supplicio adficiendæ essent, quamuis magnam pecuniæ summam pro redemptione illarum multi viri nobiles offerrent, & tyrannus alioqui esset auarissimus; non potuere tamen in libertatem vindicari. Ex igitur preces in iram conuertentes iam immanem truculentiam, iam ius belli violatum, iam perfidiam, & superata omnium hominum scelera principi barbaro exprobrabant, implorantes simul cœlestem iustitiam, vt huius tàm scelesti facinoris vltor esse vellet. Quibus vocibus Basilides quasi in nouum furorem conuersus, cruciatus in illos diros excigitat, & primum reliquos omnes captiuos in illarum conspectu partim submergere, partim tormentis dilacerare iubet, quos ipsæ, vt supplicium libenter pro gloria CHRISTI subirent, verbis magnanimis exhortabantur. Mox carnifices puellarum innocentium

manus atque pedes duobus asseribus fibulæ coniunctis, atque diuulsis alligant, & illas verberibus concidunt, & vngulas euellunt, atque vt diutius torquerentur, ità corpus paulatim carpunt, vt non celeri morte doloribus acerbissimis finis imponeretur. Miseræ interim omnem à corpore dolorem nomine Iesu sæpius inuocato depellebant, & illi gratias agebant, quod tanta patientia, tanta adhuc tormenta pati potuissent; nec tantum supplicijs delectabantur, verum & supplicibus verbis à summo rerum patre dilectorum veniam poscebant: tyranno iterum atque iterum crudelitatis horridum habitum, truculentam faciem, violentos spiritus, vocem terribilem, omniaq; minis & cruentis imperijs. referta illius acta obijcientes. Qui ea virginum constantia perturbatus multò grauiora animo supplicia præferebat. Non poterat enim pati, omnes suos conatus, quos ad illarum virtutem & patientiam frangendam comparauerat, ad nihilum recidisse. Igitur quò constantius in patientia permanebant, tantò vehementius nouis & exquisitissimis tormentis illas oppugnabat.

Cum;

*Cum Ieſum in ſupplicijs laudari, & ſuum nomen lacerari audiret, lingua illos priuauit, qua euulſa puellæ ipſa mente clarius cum DEO loquutæ ſunt, & ſpiritu tamen, qui ex vultu & oculis emicabat, immanem Baſilidis impietatem refutare viſæ ſunt: qui ad poſtremum eas candentibus verubus transfixit, quaſi earum viuentium cruciatu ſatiatus. Poſteà nec ipſis mortuarum cudaueribus pepercit. Extructis enim ingentibus rogis, igni ea combuſſit, collectoſq; cineres in Neglinnæ alueum ſparſit, & cæteros ad vnum omnes iugulantes ponte præcipitauit. Videre tunc viri vxorum ſuarum cædes, vxores virorum, infantes matrum, & matres paruulorum ſuorum funera defleuere. Lacerata autem ferro corpora Neglinnæ fluuius impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus eſt. Quæ omnia auditu etiam intolerabilia Liuones paſſi ſunt, quibus vicinam Lithuanorum gentem ſimili planè audacia aggreſſis. Sigiſmundum Auguſtum & Henricum reges contempſit, illorum legatos ludibrio habitos intolerabilibus iniurijs adfecit: in finibus Videpſenſibus, in ipſa Magni Ducatus Li-*

thuaniæ ditione propugnaculum collocauit, ac per suos rei militaris profectos illis etiam locis regios subditos trucidauit alios, alios crudelissimè diripuit, vt interim Polociam taceamus, quam Sigismundo, cui per literas pacis fiduciam attulerat, sceleratissimè eripuit, tantumq; toti aliquando Lithuaniæ terrorem incussit, vt ciues in præcipuis vrbibus iam fugam meditarentur, & quidquid pretiosissimarum rerum domi haberent, id in Prussiam transmitterent, ne ab hoste venturo forte intercideretur. Sed de Polociæ situ & magnitudine pauca dicemus. Distat Vilna quinquaginta milliaribus magnis, altissimorum fluminum Dunæ & Polottæ varijs flexibus alluitur, & in arduo cliuo sita est; muris, propugnaculis, & aggeribus egregiè munita: Olim vrbs sanè maxima fuit, & à multis nationibus, propter admodum celebre emporium, frequentata. Nunc in angustias redacta est, & arcem tamen munitissimam habet. Habitant in ea præter indigenas, aduenæ quàm plurimi, qui ex vicinis regionibus eò mercaturæ faciendæ gratia confluxerunt. Libera quinctiam & magistra-

tibus

tibus aliquando legitimis subdita fuit, in patrocinio tamen Sarmatici regis latuit, & illius partes, vbi bellum aliquod motum est, sine excusatione secuta fuit. Hanc vrbem Basilides capere vehementer cupiebat, ipsius potissimum situ, fama, ditionis amplitudine, vbertate (qua exercitus sine ditionum suarum detrimento ali ac sustineri possent.) oportunitate denique ad signa sua penitius in Lithuaniam inferenda, cæteraq; deinceps ex Polocia facilius promptiusq; administranda adductus. Itaq; in vnam proferendi imperij parandæq; victoriæ curam intentus, supremas spes in fraudibus & dolis collocat, & ad S. Augustum humanissimas litteras, quibus amicitiam & fœdus ipsi offerebat, scribi iubet. Se nimirum omnem contumeliam & dedecus quod à regijs præfectis iam multos annos acceperit, cummuni concordiæ condonaturum, quando non regis culpa, sed militum & præfectorum contumaci superbia læsus videretur. Cupere igitur se vt Sigismundus legatos confestim mittat, qui sua autoritate dissidentes Principes tandem concilient, & formam

percu-

percutiendi fœderis adferant. non dubitare se fortuna auspice præclarum lætumq; huic proposito exitum Deos daturos, & votis istis, vti in optima paucis caussa, rectè pieq; susceptis secundissimè subscripturos. Nec mora, S. Augustus quamquam dubia spe, alacri tamen voluntate Basilidis postulatis satisfacere studet, exploratisq; & auditis Procerum sententijs in consilio decernit, pacem cum Moschis colendam esse.

Erat in Basilide cum malarum artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singularis, longo vsu, & varijs vtriusq; fortunæ experimentis comparata: Super hæc vigebat in eo summa apud suos authoritas, & vis imperij ad explicanda finiendaq; consilia, magnumq; etiam exercitum semper paratum habebat, iamq; Polonis ad pacis fiduciam adductis, plane neminem esse putabat, à quo in suscepto ad victoriam cursu impediretur. Igitur ad oppugnandam Polociam statim profectus est, & florentissimas copias, & trecenta ferè hominum millia in expeditionem duxit. Oppidum erat tormentis & munitionibus, & magno telorum vim numero, & militum etiam multitudine

dine instructissimum. Quod cum tormentis ab hoste vehementissimè conquassaretur, concurrentibus ad arma feminis etiam & senibus, per multos dies acerrimè est dimicatum. Sed Basilides quietem capere non poterat, nisi vicisset, igitur imparatis adhuc hostibus sese confirmandi muniendiq; spacium nullum dedit, caduceatoresq; ad portas misit, qui omnia hostilia Polocis denunciarent, ni properè arce excederent, ciuibus verò sese dedentibus omnia salua & læta pollicerentur. Erat in ipso tyranni nomine summa existimatio cum bellicæ laudis, tùm crudelitatis atque sæuitiæ, aderantq; illi copiæ numero & virtute maximè formidandæ. Itaque mox incredibili rerum commutatione subsecuta, factum est, vt Polocienſium arma, quæ maximè repentinum vehementemq; impetum habuerant, in medio conatu deficerent. Cum enim nulla adhuc suorum auxilia accepissent, metuerentq; ne quid intestini tumultus oriretur, & hostis etiam miserabili ratione suburbana ædificia incenderet, parum honesto consilio deditionem facere statuerunt. Moschis enim propius muro succedentibus, omnem

gerendi

gerendi belli rationem amiserant. Basilides igitur puncto temporis Polocia potitus est, militemq; Polonum concessa vita extrà fines pepulit, Lithuanos autem & Russos in Moschouiam captiuos misit, Iudæos, qui baptismatis fonte intingi nollent, confestim in Dunæ aquis submersis, & ex præda oppidi multo opulentiore quàm opinione auiditaq; sua conceperat, egregiè ditatus est. Quæ res non obscuro initio maxima detrimenta Lithuanis peperit, & Sigismundus quidem incredibili dolore est adfectus, quod finium suorum propugnaculum fortissimum perdidisset, ità vt omni pristina existimatione spoliatus versutissimo hosti nimium credidisse, & suis nequaquam maturè auxilio venisse diceretur. Sed Basilides non tantùm capta Polocia regnum suum & vires auxit, verumetiam ad Gothos inuictos antè, qui Romam caput mundi cum ingentibus copijs armatorum deleuerant, qui omnē Italiam in potestatem redegerant, qui longa seculorum serie sui iuris fuerant, armorum suorum vim & impetum transtulit eosq; funesto bello per integrum biennium diuexauit. Vterq; Principum in id belli discri-

*discrimen periculosa præfectorum contentione pertractus est. Nam quæ in finibus Gothorum Moschorumq; præsidia erant omnes pariter in eam maximè curam excubabant, vt suos limites aliqua noui belli exorta occasione quàm longissimè extenderent, ideoq; mutuis inuicem cædibus grassabantur, in quibus sæpe victor Gothus fuit, temeritatemq; virtus æquauit: Sæpe etiam inclinata prælij fortuna Moschis victoria cessit. Nec multò post cum ipsi Principes ciuium caussa, vti prædicabant, arma sumpsissent, repentè bellum exarsit valde atrox & cruentum, in quo multum humani sanguinis fusum est. Moschus cum ducentis equitum millibus in Gothorum ditionem longè lateq; progressus, Viburgum vsque peruenit, atque id oppidum maximo tormentorum adparatu per aliquot dies vehementissimè verberauit. Econtrà Gothorum rex Gustanus ab excelso ingenio bellicæ laudis appetentissimus, insignibusque fortissimarum legionum & Germanorum auxilijs subnixus, omnium suorum & Procerum maximè hortatu trans sinum Alandicum cum exercitu instructissimo in*

*Fenno-*

*Fennoniam contendit. Dictitabant enim eum cuncta, quæ concupiſſet facillimè conſequuturum, & quas vellet impoſiturum leges Moſchis, ſi perterritis & in peregrina regione verſantibus illis victoria vti vellet. Erant enim Moſchi à patrio ſolo longiſſimè remoti, & ab immani tyrannide cunctis mortalibus inuiſi, ideoq; in itinere facilè opprimi poterant, & Gothi deletis illis ad veterem atque legitimam finium poſſeſſionem ità tandem redituri videbantur. His de cauſis Gothicus rex ad promouenda arma concitatus raptato exercitu ſumma celeritate ad hoſtem profectus eſt. Moſchi ea de re per internuncios certiores facti, vt animũ grauiſſimi periculi metu liberarent, neceſſitati ceſſere, motureq; retrocedentes obſidionem ſoluere, non obſcurè iudicantes eam infamiæ notam, quam tunc ſummo cum dolore animi ſubibant, aliquando in meliore rerum fortuna poſſe reſarciri, ſi vim imminentis tempeſtatis non omninò oppreſſi effugiſſent, & nolebant alioqui milite Gothico armorumque impetu ſibi eripi Viburgum, quod captum etiam præſidio tueri commodè nequirent.*

In reditu tamen coniectis in pagos & villas ignibus, agros etiam miserabilem in modum concremarunt, abducta & magna captiuorum multitudine. Eos magnis itinerum rerumq; omnium superatis difficultatibus Gothi Kexholmum & Nettenburgum vsque insecuti sunt, partimq; confixos sagittis, partim tormentorum pilis discerptos à fronte & lateribus longè lateq; strauerunt, certatumq; est maioribus quàm vmquam anteà odys, viribus verò longe maximis. Nam pro gloria, pro salute pro totius insulæ imperio remotissima vtringq; gentes excitæ, ad enatum repentè bellum summa festinatione concurrerant. Moschos etiam in reditu non paucos mare absorpsit. Quippe glacies tanti exercitus pondere rupta insperatum barbaris exitium attulit. Nec multo post grauissimo isti bello finis est impositus, & de authoribus tumultuum acerbissimè supplicium sumptum. Basilides autem ab vltima barbarie ex syluarum latebris egressus cum ad Oceanum vsque Balthicum latè omnia in potestatem redegisset, Tattararumq; Casanensium & Astracanorum regna sibi vni parere cogisset, contu-

disſetq; Lithuanorum ac Gothorum arma, ob potentiam ſuam finitimis vndiq; ſubactis in immenſum exoreſcentem maximeq; formidandam factus inſolentior, & tantarum rerum admiratione captus, tunc primum luxurioſa conuiuia, & magnificentiam epularum ſectari; tunc virgines peregrinæ nationis diligere, ob formæ pulchritudinem cœpit. Cumq; ab aulicis quibuſdam Alexandri Macedonis titulo per adulationẽ ſalutatus fuiſſet, mirũ in modum animo contumuit, ſtatimq; non regio, ſed hoſtili odio ſæuire in ſuos cœpit. Bella ciuium cauſſa ſuſcipi ſolent, multoq; vigilantius eſt de ciuium ſalute, quàm de hoſtium interitu bono principi cogitandum. Sed tyrannus diuerſa ratione vſus, cum hoſtem non haberet, ciues ſuos bello ità diuexare cœpit, quaſi ignominia tnexpiabili ab illis fuiſſet adfectus, nec omnis nõ pacatam vitam degere poſſet, niſi eos vita, ſalute, liberis, coniugibus, fortunisq; omnibus ſpoliauiſſet. Maximè indignabatur carpi ſermonibus ſuorum patris Basſilij patriaq; mores ſubuertiſſe. Propter quæ conuicia Demetrius Occininus, dignitate Principi proximus, de inſonte prius quæ

*us quæſtionibus habitis, eſt interfectus, quod ſcilicet poculum de manu Principis acceptum vno hauſtu non ebibiſſet, & Principis maieſtatem contemnere eſſet viſus. Ob cuius præſtantis viri interitum fremere omnes vniuerſa aula cœpere, innoxij ſenis caſum miſerantes, interdum ſe quoque non debere melius ſperare dicentes. Quæ cum nunciata Baſilidi eſſent, verens, ne hæc opinio etiam apud alios diuulgaretur, & ne victoriæ gloria ſæuiciæ macula obfuſcaretur, ſimulat ſe monaſticæ vitæ latebras ingreſſurum, aut etiam tota regione exceſſurum, atque ità imperij adminiſtratione Magnatibus commendata, cum duobus filijs, cum Penatibus & templorum ornatu abitum parat, monet omnes vt patriæ commoda ſibi commendata habeant, videantq; ne quid Reſp. detrimenti accipiat. Cum hæc monuiſſet Slobodam profectus eſt, Leone Solicauio, Iuano Schoboto, Iuano Veſenicio alijsque primarijs aliquot viris comitatus, quos paullo poſt veſtibus exſutos nudosque in Moſchouiam ciuitatem remiſit, illisq; ad Principem ſacrorum, quem Metropolitam appellant, literas dedit,*

quibus significabat se in vltimas terrarum suarum prouincias abiturum, nec vmquã in conspectum illorum hominum & proditorum reuersurum qui Principem quarant cui imperent, & quem cum vita fortunisq; omnibus euersum velint. Consternatis ad eum nuncium populis omnibus, decernitur in concilio, rogandum esse principem vt ad imperij gubernacula reuertatur, nec deserat patriam & ciues suos. Missi itaque fuere Archipræsul Nouogardensis, Episcopus item Susdalienſis, Abbas Troiecensis, in quorum comitatu erant Cnesus Iuanus Bielskius, de quo inferius dicetur Cnesus Iuanus Metisselouius, annuli regij custos, Iuanus Vuouartus, & Andreas Basilius, eos omnes in conspectum suum admissos graui habita oratione acerbissimè obiurgauit, proditionem & perfidiam eis obiectans. & vix tandem magnis supplicationibus est adductus, vt ad regni clauum reuerteretur, quod nequam se facturum adfirmabat, nisi prius iureiurando ciues iterum sese obstrinxissent, se Principis dicto numquam repugnaturos. legatus publico omnium ordinum ac subditorum consensu obsequium promitti-

lentibus, reuersus est in vrbem Basilides, insigni cum lætitia ciuium, qui se magno metu magnoq; periculo liberatos opinabantur. Ibi firmissimo duorum millium Sclopetariorum præsidio munitus, nequaquam ad publicam salutem & laudem cogitationes conuertit, sed cognito de se singulorum iudicio, in vnam cohortem, eos qui de Principe durius opinati fuerant, contribuit, aut consumpturus eos, aut in vltimas terras relegaturus. Iamq; facto sibi ad manifestam tyrannidem aditu crudelem admodum aduersus subditos carnificinam exercuit, per summorum atque infimorum capita pro arbitrio suo grassatus.

Rostouiæ Principem in fano dicendis precibus intentum cathenis vinciri iussit, eumq; capite truncatum in Volgæ vndis submersit: deinde familiam innoxij aggressus, homines centum acerbissimis supplicijs de medio sustulit. Eo etiam tempore quo S. Augustus in campis Radoschouiensibus cum exercitu fuit, Palatinum totius Russiæ supremum Iuanum Petrouicium falsis testibus proditionis insimulatum ad

ſeſe in Moſchouiam euocauit, qui ſimul ac comparuiſſet, regia purpura indutus, ſceptrumq; ac diadema ſumere iuſſus, tandem ſublime in ſolio gemens tremensq; collocatus eſt. Ad eum conuerſus Baſilides, ſalue, inquit, inuictiſſime Ruſſorum Cæſar, en ego te ad illud eximium regiæ dignitatis faſtigium, quod tantopere adfectaſti, nunc tandem magnificè euexi, ſed non regnabis diu, nec plura proloquutus miſerum ſenem acutiſſimo telo ſtatim transfixit, tum vero principis Satellites occiſi cadauer miſerabilem in modum ferro laceraueret: nunc aliquid hominum pecudumue in familia illius fuit, quod non conſumeretur. Homines enim trecentos ligneis ſeptis incluſos & ſubſtrato tormentario puluere Baſilides combuſſit. Vxorem grauidam & innuptas aliquot puellas moriens reliquerat, quas Satellites ad ſtupram prius raptas membratim diſcerpſerunt. Nec ſanè Cæſarini Duo brouÿ, qui annulum regium cuſtodiebat, melior fortuna fuit. Ille indiligentiæ accuſatus, quaſi in Liuonienſi quadam expeditione tormenta bellica tardius promouiſſet, mortis proptereà ſententiam ſubÿit, & cum duobus

duobus filijs crudelissimè est interfectus. Maiorem natu carnifices quatuor rotis fibula connexis alligatum in quatuor partes discerpserunt: ita vt Basilides ouantis similis carnificum diligentiam admiraretur & effusè rideret, assentante etiam omni circumstantium multitudine. Nec enim cuiquam vel gestu vel nutu egregia Principis facta improbare licebat, nisi eandem forte calamitatem experiri vellet. Nam & Coricæos & Sycophantas alebat, qui etiam apud fœminas, quid de Principe loquerentur, studiosè inquirebant. Si quæ autem per linguæ vitium aut indignationem Principis mores carpsisset, statim ad aulam pertracta vitiataq; suspendebatur. Nonnullas ita exceptas supra mensas virorum, in quibus prandebant cœnabantq;, suspendi iussit, & fœtentia iam cadauera vt defodere liceret, id vix magnis supplicationibus impetrari poterat. nec viris etiam, dum vxores ibi penderent, vllo alio in loco cibum capere licebat, si deprehensi fuissent, multò fœdiori mortis genere occidebantur. Per prouincias iter faciens, si quas in via nobiles

matronas offendisset, eas vestibus spoliatas medijs in niuibus tamdiu nudas consistere cogebat, donec cum omni comitatu aulico præterijsset. Suorum enim oculos tali spectaculo perlubenter & cupidissimè pascebat.

His indignitatibus commoti ciuere anno sexagesimo septimo præcipuæ nobilitatis ciues lachrymis eum deprecantes, vt finem tandem tyrannidis faceret, aliquando clementiæ pietatisq; meminisset, respiceret subditorum animos, qui talibus factis offenderentur; ostendere alius comiciem, alius vulnera, alius ætate consumptum corpus, cicatricibus exhaustum. Solos se esse qui Principum dicto semper obedientes fuerint; tandem orare vt innocentibus saltem vitam donet; at si non subditis, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam ciuibus interfectis subuertat. Hæ tàm iustæ preces petentibus exitio fuere. Siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Cæteri ferè tyranni cum humanum sanguinem sitiunt, non tàm subitis, quàm hostibus terribiles esse solent.

Basilides autem iucundissimo voluptatis

tis sensu fruebatur, cum per innoxia suorum capita, fame flamma & ferro grassatus esset. Quippe cum leui suspicione adductus Nouogardios, Plescouienses, Thsverenses item & Neruios dolis, perfidia, subtilioribusq; insidijs contrucidare nequiuisset, id vera vi ac aperto demum bello perficere conatus est. Acri enim impetu in Nouogardensem agrum prouectus, priusquam rumor ad ciuitatem peruolare posset, aliquot castella tormentis cœpit, magnas vndique pecoris & hominum prædas egit, totumq; eum tractum villarum, colonorumq; frequentia insignem, bellico terrore compleuit. Interea præmissæ ad ciuitatem delectæ canificum copiæ peruenere, conductusq; est Malutus quidam Scrutouius, qui satellites Principis imperio continebat, vt ciuibus omne effugium intercluderet, & obuia quæq; caderet, fugeret, raperet: ne sæui ac immitissimi Principis, qui plerosq; regni magnates varijs suspicionibus inductos enecauisset, sanguinarias manus vlla ratione effugere possent. At eius aduentus fama, sicut insontium animos metu perculit: ita ipsam ciuitatem indicibili calamitate repleuit. Et cis

nes quidem eo tumultu deposita in praesens vitae spe, ante aras animos delictis expiarunt, vt quod erat futurum praeuidentes implacabilem scilicet saeuissimi tyranni feritatem nullis fletibus vel lachrymis cessuram. Malutus vir militaris & Basilidi fidus, manuq; ac ingenio promptus, patranda cadis negocium susceperat. Cum illo Tattari Nouogardiam opinione celerius perueniunt, eò etiam mittitur Iuanus maior natu tyranni filius, vt si qui dubij ac timidiores forent, ob eius praesentiam maiore demum fiducia ad maturandam cadem inducerentur.

Proinde omnibus sicarijs atq; nobilibus, & amicorum clientumq; praecipuis scelerato consilio adhibitis, in ipsa meridiei luce facinus patrare constituunt. Id vero temporis momentum pro tessera ad stringendas sicas cunctis est datum, quo medijs in sacris Euchariſtia populo ostenderetur. Cum ad caedes ventum est, nulli sexui aut aetati satellites pepercerunt: Homines & pecora membratim discerpta, stupris foedata virgines, hastis infantes transfixi, ipsaq; ciuitatis aedificia igni iniecto, stupendum in modū flammis absumpta conciderunt. Septingenta fœmi-

*fœminæ cum infelicibus liberis in Volchou amne submersæ sunt, quæ velut extremum allocuturæ patrios Deos, non impetratæ à carnificibus orandi venia indignissimis exceptæ sunt contumelijs, quasi Principis mandatum maiestatemq; contempsissent, statimq; in profluentem cum infantibus detrusæ. Primarij ciues è fenestris suspensi laqueis præcipitabantur. Sed & senatores eorumq; satellites curia inclusi apparitoribus strenuè operam nauantibus iugulabantur. Nihil atrocius eo spectaculo fuit nam cum frequentes curiæ fenestræ deligandis capistris non sufficerent, vt sequentium supplicijs expeditior locus foret, laquei ante deiectorum ac morientium præcidebantur, ita vt Basilides supremæ loco occisorum cadauera iratis lictoribus, vncis trahenda, ac in flumen præcipitanda relinqueret. Sacerdotes ad aras confugerant, sed hîc simili fato & fortuna occubuerunt. Crudeles enim carnifices nullæ hominum preces, nulla religionis verecundia, nullus denique sacrorum respectus à concepto nefario scelere retardare potuit. Illorum autem ex numero qui strictis acynacibus ante aras petebantur, supremæ dignitatis Antistes conseruatus est. Is vt*

*aliquo*

aliquo tamen beneficio Principis irati animum mitigaret eundē ad conuiui & epulas domi suæ inuitauit. Basilides hominem aditurus suis præcepit, vt inter prandendum trucidatis reliquis Sacerdotibus, omnia templa opibus & ornamentis spoliarent. Nec mora, satellites incredibili studio ac celeritate arma capiunt, omnisq; ætatis ac sexus hominum fit longè tumultuosissimus concursus, latrones Monachorum domos diripiunt, virosq; sacratos persequuntur, alios trucidant, alios viuos ad supplicium in curiam perducunt. Iamq; adeò amarum & triste reddiderat conuiuium illud Basilides, vt non armatus in acie quam inter epulas sedens terribilior esset. Statim enim præsulem, ad quem officij specie venerat, veste, pecunia, fortunisq; omnibus exsuit, illiq; pro cibis exhibitis funera remisit. defuncta fortè illius vxor erat, quod cum Basilides intellexisset, æqua ad eum adducta, hanc, inquit, concubinam deinceps habebis venerande præsul, ad nuptias autem collega tui symbola conferent. Cum hæc dixisset Sacerdotum & templorum pecunias adhibitis tormentis inuestigauit, ipsumq; episcopum noxio-

*coxiorum habita ad ignominiam equæ impositum per vrbem circumduci sub voce præconis & demum iugulari iussit. In tanta fadissimorum supplicionum contumeliarũq; licentia casi sunt, homines bis mille septingenti & septuaginta, si ignobiliorem hominum turbam excipias, quam septis ligneis includsam ipse tyrannus adactis in terga tacentium calcaribus in profundissimo luto miserrimè depressit & occidit. Qua res cum vicinis nunciata esset, mœsta Moschouia fuit, omnia vlulatibus non secus, ac si tota regio capta esset, personabant: clausa priuata domus, clausa templa, intermissa omnia sacra, omnia priuata officia damnata. Post tyranni discessum, exsules deinde Nouogrodenses ad portam congregantur, egredientesq; paucos, qui clade superfuerant, de suis percontantur. vt verò dubia ante spe, & suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione casus suorum miseris illuxit, tunc toto oppido plangentium gemitus, tunc infelicium matrum vlulatus, & querelæ flebiles audiebantur. Inter hæc procedunt inopes è latebris suis ciues alij, sordida seruilique toga discincti, ad quorum conspectum plan-*

plangentium agmina iunguntur. Illi omnes manus ad cœlum tendentes, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflent. Porrò ad alias longè grauissimas calamitates aliud fortunæ ludibrium accessit. Nam & pestilentia valde atrox & repentina, vulgatis minimo contactu morbis, cumulatisq; subinde multorum funeribus ciuitatem vastabat: Ea res tantas conuehendæ annonæ difficultates attulit, vt homines egeni & iam vix spirantes cæsorum cadauera non tantum coquerent, sed & humanis carnibus tamquam delicatissimis epulis vescerentur. Quod factum simul ac ad Basilidem est delatum, miseros istos in frusta discerpi inq; flumen abijci iussit Nouogrodensibus ad eum modum castigatis, euersoq; totius ciuitatis decore, graue ocium latronibus suis, periculoq; amq; desidiam tanti exercitus ratus, copias in Neruam traduxit, simul vt militum animi continua feritate acuerentur, & cæteri pares experirentur calamitates. Prima illi pugna cum Nouogrodensium bonis, quæ apud Neruios deposita seruabantur, fuit, quibus direptis, homines innoxios aggreditur, omnesq; oppidi ciues hostes sibi destinat. Quid nunc euersa templa dicam? quid cæ-

sos

fos peregrinos? qui ex varijs nationibus huc confluxerant. Iam senes, pueri, matronæ, virgines, nõne Principis furore deletæ sunt? quid incensas domos ciuitatis? quid stupra rapinasq́? quid eiulatus hominum? quid infantes miseros, quos in seruitutem abductos, necatosq́ crudeliter accepimus? discedentes paruuli flebili vlulatu amplexi patrem tenebant: ex altera parte vxor maritum non amplius visura oculis fatigabat: nec minus senũ lachrymæ miserabiles erant. Hi in spem generis susceptos nepotes rapi in seruitutem dolebant: Illi paullo post morituros patrẽ & auum flebant. Inter hæc ciuitas omnis adsistentium fletibus tàm crudelis lanienæ resonabat. Tandem lachrymis finem necessitas profectionis imposuit. Post hæc Basilides Plescouiam ingressus, multum quidem de pristina ira atq́ odio aduersus supplices remisit; ità tamen vt vim exulcerati animi in irroganda pœna prorsus ostenderet: cum omnia quocũq́ ingrederetur prosterneret, villas, domos, castellaq́ incenderet. Tandem veluti Reip. statũ reformaturus, populũ in theatrum ad concionẽ vocari iubet, contractoq́ in curia senatu, quasi quædam prius ordinaturus, statim immissis militibus popu-

*populum obſidet, ſenatum trucidat; cuius peracta cæde, ex plebe locupletiſſimos, & præſtantiſſimos quosq; interficit. Iis ità geſtis iterum exercitum ordinat, quo inſtructius finitimas ciuitates, nihil hoſtile metuentes, ex improuiſo aggreditur, nec vnius aut duarum vrbium vaſtatione tantus exercitus teneretur. Iamq; ad Thwerenſes delatus, ſolitam ibi ſæuiciam exercet, primores ciuitatis in vincula conijcit, coniugesq; illorum ad ſtuprum rapit, virgines ante nuptias vitiatas ſponſis obtrudit. ditiores aut ciuitate pellit, aut occidi imperat, bonaq; eorum inuadit, ornamenta matronarum in ſuam prædam vertit. Quarundam maritos interficit, quaſdam ad prodendas virorum pecunias torquet; vtq; grauior crudeliorq; indies ſuis eſſet, iterata cæde à multitudine ad priuatos furorem conuertit; aulæq; ſecretarium, quem multos annos magnoperè dilexerat, & qui cum de rebus etiam maximis conſultare erat ſolitus, occidit. Ophanaſius is erat Louezicus, principi ità charus, vt de ipſius manu medicas potiones frequentius acciperet ebiberetq;. Iam infidelitatis accuſatus, quaſi Thwerenſes de futura*

*cala-*

talamitate præmonuisset, capitur, virgisq; cæsus, & corpore diuerberato, manibusq; & cruribus fractis, velut à singulis membris pœnæ exigerentur, in conspectu populi iugulatur, corpus in palo figitur. Filij quoq; illius & propinqui omnes supplicio traduntur, ne quisquam ad imitandum facinus ex tàm nefaria domo superesset. In vrbem deinde Moschouiam reuersus, ijsdemq; consilijs intentus, iterum seruitia concitat, statutaq; Carlium die, decem & octo furcas totidemq; cruces in foro erigi iubet. Adferuntur deinde diuersissima torquendis hominibus excogitata instrumenta, ignisq; excitatur, & vasa ænea calidissimas vndas ebullientia apponuntur. Quibus rebus cum vniuersis terrorem maximum iniecisset, ipse cum delecta carnificum manu in publicum aduolat, & vicina circum loca armatis custodibus occupat, vt expeditior trucidandis hominibus locus foret. Concepto autem sceleri sacrorum diem legit, vt religionis specie nefanda committeret, commissaq; facilius tegeret. Mox plebi epulas in publicis porticibus, senatui in curia parat, vt poculis veneno infectis, secretiùs

ſenatum, & ſine arbitris interficeret, orbãq; ciuitatem expeditius vaſtaret. Nemine autem prodeunte, ipſe equo per compita circumuectus ciues præſenti eſſe animo iubet, inuidiamq; præteritorum lenitate præſentium demere ſtudet. Inter has tamen diſſimulationis artes diu ſine fide fuit, cum aut à timentibus non libenter videretur, aut à non timentibus tamquam carnifex crudeliſſimus vitaretur. Augebant etiam metum & Nouogrodia capta & Pleſcouia direpta, & Thwerenſes cæſi, & crudelitas principis, apud quem nec iniuſticia, nec ſanguinis humani cupiditas vllo modo terminabantur. Mittitur tandem ad explorandos eius animos delectus ſeniorum numerus, illi reuertentes cum bonam clementiæ ſpem cunctis attuliſſent, vulgus in publicum prodire cæpit, cumq; concurſus multitudinis factus eſſet, Baſilides in concionem deſcendens, vobis, inquit, fauſtiſſima dies illuxit ô ciues, mortis enim ſententiam in vos antea latam hoc quidem momento abolere ſtatui; & iſtum tamen proditorum meorum manipulum dignis ſupplicijs cruciabo. Eum ſermonem ad fauorem populariũ conci-

liandum

liandū intenderat, excusatiùs facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur ducentos è carcere dimittit concessaq; miseris impunitate quibuscumq; delinimentis potest, animos circumstantium sollcitat. Tum ad destinatum facinus conuersus, non consiliarios tantum, sed ipsum etiam fratrem & cognatos interficit, vt quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortij relinqueretur. Inter primos autē in theatrū producitur Rutenicæ gentis orator, vir solertia facundiaq; prater cæteros insignis, Ioannes Micael Viscouius. Ad hunc Malutus carnificū princeps, & in omne facinus promptus, accurrens, Morieris, inquit, Viscouaci, bis tyrannidē adfectasti; bis euocasti in Moschouiam Tattaros, bis Turcarum Cæsari Casanenses prodere voluisti, sed fraudis haud lætus cuentus erit. Mox ad circumstantes conuersus, hunc ait patibulo suffugite ô commilitones, vt idem locus monimentum suppliciorum eius sit, qui ornamentum antea fuit honoris. Sed Viscouacius magno animo Principis crudelitatem tulit, adeò vt de summa cruce veluti de tribunali in eius scelera concionaretur; obiectans illi

nunc Proceres falsa adfectati regni inuidiæ circumuentos ; nunc ciuium innoxiorum mortes nunc in cognatos suos tacita suffragia quod Germanum fratrem in carcerem compingere, quam seruare maluissent. Hæc cum in maxima populi concione vociferatus esset, non tandem à singulis membris pœnæ exactæ sunt, sed & ex Secretarijs quidam vt Principi singulari aliquo facinore diligentiam probaret, naturalia Viscouacio præcidit, quo ex vulnere statim ille exspirauit. Tum Basilides ad scribam conuersus, & tu, inquit, nefandissimæ conspirationis es conscius, proditori enim meo fatum maturasti, aut igitur deuora quod abscidisti, aut simile supplicium exspecta. Ille versam in se inuidiam temerè commissi facti videns, cum ad tormentorum grauitatem expalluisset, pudenda Viscouacij integra comedit & seruatus est. Postea vxor miseri omnibus rebus exspoliata, in carcere recluditur, filius in exsilium agitur, ad stuprum virgines diripiuntur. Eodem momento easdem ad furcas ærarij magister pertrahitur, quem calidis algentibusq; per vices vndis perfusum inter stupendos cruciatus

ciatus occidit. Post hunc Principis cocus membratim discerpitur & simul ducenti è carcere nobiles viri in campum adducuntur, qui cum sese grauiter & summa cum modestia purgare vellent, signo repentè tympanis dato impediuntur, tumultuariogz succlamantis turbæ iudicio damnati crudelissimè trucidantur. Tanta verò strages fuit, vt Diaboli ipsi pariter cum tyranno consensisse in excidium innoxiorum viderentur? Nam & tanta rabies feros militum animos inuaserat, vt non parcerent ætati, cui etiam immanissimi hostes pepercissent, bellumgz internecinum cum infantibus paruulis, paruulorumgz matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Itagz quasi scelere victoriam insignem redemissent, sicuti erant cruenti ex recenti miserorum cæde ad tyrannum accessere, cupidè quidem expectantes si quod amplius paratis facinus imperare vellet. Nam obversantibus adhuc ante oculos cæsorum cadaueribus, noua parricidia animis agitabant. Hanc tàm sæuam dominationem stupentibus cunctis, centum & quinquaginta nobiles viri de capessenda in Poloniam fu-

ga consultare cæperunt. Sed consciorum garrulitate proditi, omnesq; profundissimis paludibus immersi infelicis consilij pœnas dederunt, occisis deinde in gremijs matrum paruulis eorum liberis. Ad eum modum Basilides externo metu liberatus, impium & facinorosum animum ad domestica scelera conuertit, insidiasq; fratri suo Georgio instruit, quibus, & ipsum vita, & vxorem eius omnium bonorum possessione priuauit. Primus ei dolus fuit falsis testibus innoxium proditionis insimulare. Aliter enim ad eius bona, quibus inhiabat, quàm excogitatis fraudibus peruenire non poterat: & nota quidē Basilidis scelerata voluntas fratri erat. Itaq; domi suæ latebras quærens feriratem eius successu felicitatis incensam declinare studebat. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quoq; in homine admirabiles fuēre. In alloquio blandus, in negocio iustus, in gustu seuerus erat, prorsus vt nihil ei regium deesse videretur, præter regnum. Ad postremum sycophanta quidam subornatur, qui absentem accuset, quasi audacius fratrem & principem esset calumniatus, quasi ciues ad mouendam seditionem excitare, &

tyranni-

tyrannidem inuadere voluisset. Mittuntur igitur qui hominem ad dicendã caussam accersant. Is sicarios aduentantes conspicatus, ad trepidantem coniugem in cænaculum confugit. Ibi verò vxor pro marito se sæpius percussorib. obtulit; vulneraq; excipere, quæ marito intentabantur, voluit. Sed cum nihil proficeret, spoliata etiam thalami socio, sciss̃a veste, & crinibus sparsis hanc calamitatem deplorauit. Ipse Georgius, cum captiuitatis cura, & vulnerum multitudo grauiores essent, & inter se, & alterũ alterius malo crescceret, desperata vita, vxorem suã cum omni pecunia, & familia regaliq; instrumento in latebras dimittit, timens ne prædonem fratrem pateretur; quamquã vxor diu, ne ab eo diuelleretur, deprecata est; nubendo se omnis fortunæ societatẽ iniisse dicens. Vix in conspectum fratris venerat, cum aduocati carnifices cathenis vinctum torquere cœperunt, quos indignos ille quibus quidquã confiteretur, iudicauit; petyt tamen vt extremũ sibi alloqui circumstantes liceret, iussus ab vniuersis dicere facto silentio, laxatisq; vinculis prolatum manum, sicut erat cathenatus, ostendit: Cernite milites inquit, habitum atque ornamenta Ducis vestri,

quæ non hostium quisquam impoſuit, nam hoc etiam ornamento foret, vos me ex Principe captiuum, vos me ex domino ſeruum feciſtis, & tamen antè non paucis à me beneficijs adfecti eſtis, & iſta mitto (nec enim miſeris conuicia proſunt) vnum oro, ſi propoſitorum Baſilidis in meo capite ſumma conſiſtit, ſi meum ſanguinem ſitit, iam nunc ſtatim vos me velitis mori. Nam neque illius intereſt quomodo aut vbi cadam, & ego fuero ignominia tormentorum liberatus. Aut ſi vos pudet roganti manus afferre, ferrum huc date, & permittite quod vos facturos Principi iuraſtis. Cum non obtineret, preces in iram vertit: At vos, ait, ſcelerata capita reſpiciat Deus iniuriarum vindex, talemq; vobis vitæ exitum det, qualem vos hominibus innoxijs hactenus dediſtis. Nempe vos iam ante & ciuium ſanguine eſtis aſperſi, & in magnates eadem moliti. Vltima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico, vt inopes, extorreſq; omne æuum in exſilio agatis, deuorentq; vos arma veſtra, quibus plures veſtros, quam hoſtium ſubditos abſumpſiſtis. Plenus deinde iræ carnifices eadem

eadem maturare iubet, confestimq; missi satellites fuere, qui eum confoderent, non refugientem gladiũ, nec secures, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem, sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ succumbentem. Hæc cum vxori eius nuncciata essent, diffisa tyranni ingenio latebras quæsiuit. Proficiscenti ancillæ duæ, plurimæq; nobilium matronæ, spectosus magis quàm vtilis grex comites fuere. Ea cum diu quæsita inueniretur, pacta salute se dedidit; Basilides tamen contrà iurisiurandi religionem eam occidendam decreuit. Igitur infelix fœmina vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali duabus ancillis innixa, vltrò obuiam processit. Mox per platearum regiones raptata, ad extremum interfecta & in flumen abiecta est. Peractis tot cædibus Basilides ad statas solennesq; cerimonias & patriam religionem animum appulit, Dijsq; immortalibus tot periuria, & tàm cruenta parricidia vindicaturis supplicare constituit, & eo quidem die qui vati Eliæ sacer est, multis horis à templo nõ discessit, remq; ipse diuinam tamquam Pontifex aliquis Max. fecit, adeò vt

scrupulosa cura parvula quoq; momenta pa-
triæ religionis examinare videretur. Sed ta-
men diuinæ potentiæ nequaquam benè, at-
que constanter, vti præferebat, famulatus
est: animoq; sanguini humano propior, quã
Christianæ charitati, paucis interiectis die-
bus ad solitam & immanissimam crudelita-
1570. tem est reuersus. Erat apud Russos Petrus
Serebrinus, vir & manu strenuus, & conci-
onibus perfacundus, eum apud se delatum
& ex fuga retractum carnificiq; traditum a-
uidis oculis in frusta dissectum spectare su-
stinuit, pedes eius & caput & manus lin-
teo velamine opertos pro munere regio vxo-
ri misit. Nec aduersus Petrum Bicouium,
equitem Polonum mitior fuit, cuius caput
abscissum suis manibus inter epulas per sum
mam animi, ac verborum insolentiam ali-
quandiu tenuit, clarissimiq; & viri & bel-
litoris sanguine contaminari mensæ sacra
passus est. Quàm porrò crudeliter se in Al-
berto Beso Silesio gesit? quem ex fœdissimo
carcere extractum, non prius vita priuauit,
quam oculos infelicis eruceret, & singulas
corporis partes confringeret. Eodem tempo-
re ingentem hominum captiuorum multi-

tudi-

tudinem crudelissimè trucidauit. Vix enim Polonorum legati ex Moschouia abierant, cum laxatis nexorum vinculis, paria fratrum & propinquorũ iungens, miseros ferro decertare coëgit, neq; ante sanguine expletus est, quam ad vnum victorem omnes redegisset. Id quoq; in explebilis feritatis indicium est, quod carceris magistros, qui ne tot supplicia videre cogerentur, fuge se mandauerant, retractos continuo ibi mactauit. nouus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Cum paucis diebus tot crudelitatis exercitia absoluisset, Dei indulgentia rem succesisse ratus, thura deinde adoleuit, genioq; largissimè indulsit. Sed transgrediendum est ad alia eius facinora quibus par dolor inest.

Cum Orlonem ædificaret, operarios 69
non veneno, non ferro, non vlla vi, sed inopia alimentorum necare statuit. Illi vt crudelem mortis ratione crudelissimo facto propulsarent, de suo numero septem viuos homines, mactarunt, eorũ carnibus contra famẽ vsi tormenti certè genus indignum passis,

aut ho-

*authore dignissimum. Cæteri qui humanas carnes comedere non poterant, ad durissimæ famis necessitatem vitulum forte fortunæ oblatum occidere. Quod factum uti Moschus ominosum est, ita omnibus exitio fuit. Nam Principis iussu propter id facinus vivi combusti sunt, & cineres in præterfluentem sparsi. Scribas in aula plurimos habet Tyrannus. Eorum ex numero quidam lupum aliquando piscem emerat, accusatus propterea quasi ipso Principe splendidius epularetur, in carcerem deductus, & paulo post in flumine Mosca submersus est. Moriturum adfatus Basilides, I, inquit, & apud inferos piscare, assuetisq; delitijs enervem animum satia. In arce Alexandrouia numquam iucundè rebus diuinis vacauit, nisi peracto prandio quotidie homines viginti septem & plures iugulasset. Hic cum Principe quidam præcipuæ dignitatis Consiliarius erat, qui domi in conuiuio sedens puerum suum amandauerat, eumq; idoneæ redeundi in aulam tempora iusserat obseruare, ministeria enim Principi debita nequaquam cunctando negligere volebat. Basilides puerum ad ostium conspicatus cur*

*venea*

*venerit, ad quem exſpectet, interrogat. Ille cum heri mandatum ſui aperuiſſet, mittuntur illicò ſatellites qui hominem cum omni familia in aulam perducant. Telatouius ingenti ſemper ſpiritu aduerſæ fortunæ obuiam ire aſſuetus metuq́ vacuus ad Principem cum ſuis venit. Ibi Baſilides ad circumſtantes graui habita oratione queritur ſuam clementiam, liberalitatem & humaniatem acerbiſſimis iniuriis remunerari: & quod eſſet in auditum, parari ſibi nefario propoſito à ſenatoribus ſuis inſidias, ſceleſtiq́ eius conſilij aliquos eſſe conſcios quibus vitam & ſanguinem ſuum hactenus crediderit. Tacentibus præ conſternatione viris Baſilides ad Telatouium eiusq́ ſocios couerſus, Vos ait, vitæ meæ inſidias ſtruitis, & hanc ad ſtringendos gladios horam deſignaſtis, quam puer iſte certo indicio vobis ſignificaturus erat. Sed pertinax Deorum indulgentia pro mea ſalute excubuit, qui & hanc perfidiam veſtra in capita conuertent. Telatouius econtrà longa excuſatione vſus, cum non audiretur, tandem flebili quiritatu veniam rogauit, ſed omninò fruſtrà. Quippe Baſilides oblatam ſibi iterum*

rum exercendæ crudelitatis præclaram occasionem ratus, statim eos in subterraneos carceres tenebris ac odore tetro maxime horribiles separatim detrusit, eductosq; post non multos dies magna supplicij acerbitate trucidauit: ea potissimum de caussa vt alios truculento exemplo territos, validius in fide contineret.

Cum enim animaduerteret, quantò sui odio Moschouia teneretur, timori remedium scelere petiuit, vt eo tutius plebe trucidata regnaret. Iacuere sine honore sepulturæ per septem dies cadauera, partum canum morsu laniata, partim etiam hyemis & tempestatis vitio confecta. Sed quod sequitur maioris impudentiæ genus est, nec ferendum vllo modo. Socerum suum, ingenuæ stirpis virum, Micaelem Temrucouium, ad epulas frequentius inuitatum sæpe fustuario subiecit; Sæpe eum veste exsutum inter medias niues ad suos nudum remisit, sæpe eundem torsit & pecuniam prodere iussit. Nec domum reuersus vmquam tutior fuit. Ibi enim tamquam in carcere conclusus, nonnumquam alimentorum inopia ferè ad laqueum redactus est, cum Basilidis iussu

quatuor

quatuor ſtupendæ magnitudinis vrſi ad æditum limen deligati cibū allaturos ab ingreſſu arcerent. Eas quoque beſtias in denſiſſimam hominum turbam immittere ſolebat, eo præſertim tempore cum populus ad templa proficiſceretur. Tum ſi quis repentinis illarum incurſibus oppreſſus exſtitiſſet, facetijs homicidia circumſcribens, ſuos filios ex eo ſpectaculo non paruam voluptatem percepiſſe dicebat. Eos igitur beatos reputandos eſſe, quos magni Ducis fera proſtratos occiderint, præſertim cum ipſe etiam eo certaminis genere flagranter ſit oblectatus. In miſeram deinde plorantium viduarum turbam nummos aliquot argenteos diſpergens, ipſa occiſorum cadauera, denegato ſepulturæ honore, vulneribuſq; confecta aulicis & miniſtris ſuis ſpectanda in arcis area poni iubebat.

Porrò nemo apud truculentiſſimum hominem vel ſilentio tutior, vel ſermone fuit acceptior. Quandocunq; illi libuit, quoscunque ſpiritu carere iuſſit, ſomniorum etiam darus interpres. Vir erat apud Ruſſos ſummo loco natus Caſarinus ſcilicet

Vlodo-

Vlodomirus, is cum indemnatus fœdissimo carcere teneretur, fraude se euasurum sperans fabulam comminiscitur, & rem se magnam Basilidi indicaturum dicit: ad hunc illicò perductus, quid rei sit, iubetur dicere. Tum ille: Animo in somnum profuso, per loca deserta, & inuias regiones vagantem Polonorum regem obuium habuit, cumq; interrogarem, quid ità, tàm tristi vultu, incerto itinere ferretur? Respondit ille: durissimo mihi & inexpectato fato pereundum est, & vsque ad vitæ exitum latebræ mutandæ: Tandem tamen Moschorum Princeps me capiet, summaq; meum in regnum authoritate & potentia vtetur. Tibi igitur inuictissime Cæsar, nouam ego maiestatem & supremum Sarmatici regni fastigium eo somnio portendi opinor.

Audito sermone Basilides hominem carnificibus cruciendum, tradidit, vt tormentis totius consilij veritatem exprimeret. Fare ait, ô sceleste, quam tandem ob caussam inanem fabulam excogitaueris, & quis Iupiter in quiete hoc tibi præceperit. Scimus enim quod Dij nequaquam miseros homi-

nes

homines alloquio suo dignentur. Ibi Vlodomirus cum dolum pernegare non posset ob cruciatuum grauitatem, & cuncta fateretur, Basilides ad eum conuersus, iam, inquit, satis magnam inuenti mendacij pœnam pependisti, ad consuetam igitur habitationem nunc reuertere donec magnæ admirationis somnio euentus respondeat, tum nimirum & honoris excellentia & opibus facile mei senatus Princeps eris, nec te perpessæ calamitatis vmquam pœnitebit. Ità Basilides, quem vituperare nemo satis digne potest, confictis criminibus insontes ciues suos tamquam nocturnos fures incredibili acerbitate atq; sæuitia violauit, non contentus in eos sæuire, qui fraudibus & insidijs à se dissenserant, etiam quieti animi homines proscriptorum numero adiecit. Persæpe etiam à supplicijs parumper feriatus, sannionibus cucullatis, & facetissimis helluonibus operam dedit, & quidem mirus artifex fuit hominibus iam ætate grauibus ad insaniam impellendis. Quibus adeò flagranter oblectabatur, vt laudando & mira eis persuadendo, donandoq; plures ex stolidis stultissimos & maximè ridiculos faceret. Ii

certis diebus cum genio liberius esset indulgendum, in extrema inferioris mensæ parte ea conditione regnabant, vt contumelias, quas cum valetudinis incommodo architriclini & structores inferrent, æquissimis animis paterentur: multaq; eorum palato ac auiditati aliena cibaria, falsa gratissimarum rerum specie concinnata, vti canes & lacertæ & humanæ carnes cœnantibus apponerentur. Horum in numero præcipuus aliquis insania præceps cum diu ad ostentationem absolutæ scurrilitatis ineptissimè aliquando iocatus esset, Basilides hominis singularem vesaniam probare solitus, tandem furore correptus est, eumq; olere ex recentibus flammis calidissimo collotenus perfudit, ità vt effusum ius cutem in ipso dorso statim miserabilem in modum contraheret, & ille pronus in terram collaberetur, Princeps tamen haud istis contentus facetijs, vehementi ictu ferratum Scipionem furiosi hominis capiti instixit, eumq; saucium suo è conspectu discedere iussit, qui paucas post horas exspirauit. Nec planè dissimili ioco in Boridem Titouium, Staritiensem Palatinum, à quo longa titulorum serie fuerat salutatus cru-

crudelis vir vsus est: Illi enim dextram aurem in conuiuio sedens abscidit, addita promissione se munere aliquando meliori virum tam elegantem adfecturum, nunc tamen boni consulenda esse præsentia. Ego autem quid ista consector? aut quid in his immoror? Cum vnius hominis scelere, cũcta scelera superata cernam? Quæramur nunc cum natura rerum, quod nos multis & asperis aduersæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit? habitumq; cœlestis roboris humanæ conditioni denegatum molestè feramus, cum tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitauerit.

*Finis secundi libri.*

# VITÆ IOANnis Basilidis

## LIBER TERTIVS.

*BASILIDES CVM ad eum modum suprà hominum fidem immani superbia, crudelitate, atq; libidine, & reliquis immoderati animi cupiditatibus corruptus, barbaram vim, cædes, homicidia, cruciatus, famem, vastitatemq; & dira malorum incommoda ciuibus suis & innoxijs hominibus attulisset, ità vt nō suis tantum, verumetiam communi hominum societati, & denique vniuersæ rerum naturæ acerbus & luctuosus videretur: Secutum demum est id tempus, quod maximus ille rerum omnium moderator & Dominus clamore humani sanguinis ad vindictam excitatus, & magnitudine scelerum offensus, eum tyrannum præsentibus pœnis & incommodis ità verberauit, ità inquam euidenter & clarè vt*

re, vt dubitari non posſit, ipſum esſe seue-
rum omnis impietatis vltorem. Nec quis-
quam interrogare debet, quis habiturus sit
quæstionem de tyrannis, quis illos accusatu-
rus: quis litem definiturus, quis pœnam ir-
rogaturus sit? certè fletus miserorum homi-
num, quos crudeliter vexarunt, item vidu-
arum & infantium suſpiria, quos parenti-
bus & maritis inhumanè spoliarunt, breui-
ter eorum, quos adflixerunt & fortunis
omnibus denudarunt, lamentationes at-
plangor, erunt accusationis loco, quam
illi coram supremo iudice sistent. Pleri-
que verò Principes, imperiti quidem illi
& in consulti, quam diu prospera & feli-
ci vtuntur fortuna, nihil tale metuunt:
sed cum maximè securi sunt omnium re-
rum, tunc repente illis aduersarius excita-
tur, de quo minimè suspicati fuerant. Cu-
ius rei, ne longius euagemur, euidentiſsi-
mum Basilides erit argumentum. Ille qui-
dem grauiſsimas etiam à fortuna plagas ac-
cepit, plurimumq; tantæ potentiæ admix-
tum fuit acerbitatis. Nam & sterilitatem
famemq; admodum crudelem passus est, &
inteſtina quoque discordia vexatus: ne

quid interim de peſtilentia dicam, quæ eo præſertim tempore, quo Magnus Cimbricus in Moſchouiam venit, vulgatis minimo contactu morbis totius regionis faciem multiplicatis funeribus ità deformauit, vt per omnes ferè vias innumerabilia mortuorum cadauera ſine honore ſepulturæ diſperſa, canumq; & auium laniatu mirum in modum defædata conſpicerentur. Accedunt Tattarorum frequentes admodum impreſſiones, à quibus tot bellis vexatus, toties in fugam coniectus eſt, cumq; aduerſus hoſtes regionem ſuam eos tueri non poſſet, captam non ferro defendit, ſed auro redemit. Reuaiiam quoque bello infeliciter aggreſſus eſt, ſumptumq; ingentem & valde numeroſum militem in ea oppugnatione amiſit. Quippe fortitudine ciuium propugnantium ſuperatus, feſſusq; perpetuo multorum dierum labore, & vulneribus cum ſuis debilitatus, obſidionem ſoluere coactus eſt. Poſteà cum ad Stephanum regem pacificationis gratia legatos miſiſſet; & tamen per inſignem iniuriam Vendam bis omni conatu oppugnatam inuadere & occupare cogitaret, adeoq; ante vrbis portas ferociſſimè atque

que acerbissimè vociferando, regijs extrema supplicia minaretur, puncto temporis fortunaeum in longè maximam calamitatem coniecit. Erant in Liuonia paruæ Sarmatarum Germanorumq; & Gothorum copiæ, ex his qui pro publica salute libertateq;, Andreæ præsertim Sapreha & Ioanne Buringo concitantibus, arma cœperant. Venda autem antiquitus ex præcipuis prouinciæ vrbibus fuit: ad hanc vt in vnum iungerentur, sarmatæ & Germani motis castris contendunt, & ex itinere arces quasdam, quæ erant in potestate Moschorum, acriter oppugnant. Nam de consilio, conatuq; hostium haud inani coniectura iudicantes, quin & ipsi protinus ad eos aduolarent, nullã omninò consultationi moram attulerunt; quoniam magnæ felicitatis initium arbitrabantur, si hostibus, priusquam maioribus copijs augerentur, occurrissent. Itaq; cum expeditis equitum alis obliquis itineribus profecti, nouissimũ hostium agmen continuò inuadunt. Erant longè superiores equitatu & peditatu Moschi, vtpote qui iustum exercitum adduxissent. animis autem regij superiores erant cum audacia, tum virtute, nam quisque

præfectorum secum insignes & audaciſſimos equites adduxerat. Quum in conſpectu vtrarq; acies eſſent, & vndiq; regij toto campo prouolarent, Moſchorum Duces pedeſtres copias maturè progredi iubent, ipſiq; alacriter cum vniuerſo equitatu ora conuertunt, vt dum inſultantium impetũ à tergo ſuſtinent, peditibus ſpacium detur explicandi ſeſe ad ineundum acerrimum certamen. Ita dum ſeſe audacter efferunt Moſchi, & à peditatu temerè diſiunguntur, intercepti circumuentiq; à multitudine regiorum equitum ſternuntur; qua fortunæ iniquitate territi pedites, dum equites cæduntur & fugiunt, & cæteri victorum impetum non ſuſtinent, toto campo conciduntur. Tantus enim pauor amiſsis ducibus militum animos occupauerat, vt nihil aliud quam fugam abiectis etiam gladijs ſpectarent. Habebant Moſchi tormentum ab immani magnitudine & violentia lupum appellatum, & in fronte caſtrorum conſtitutum, quod pilas ſeſquipedali craſsitudine iaciebat. Illud etiam, victoria feliciter parta, caſtriſq; direptis, cum reliquo adparatu bellico, quo alienа oppugnabantur, regiorum in poteſtatem

perue-

*peruenit: & capti sunt præcipui belli Duces, quibus præclarè regij veniam ostentabant, quasi in parte gloriæ reponerent, si longè nobilissimis viris iam planè parta victoria pepercissent. Ea res existimationem Basilidis magna etiam ex parte conuulsit, effecitq; vt Moschorum nomen paullò ante in prouincijs terribile & ominosum, despectui & ludibrio haberetur, quum ea regiorum victoria ad extremas vsque totius Europæ nationes permanaret. Sed leuiora sunt ista, quæ commerauimus; Non enim tyranni insolentiam aut minuere, aut immanem illius crudelitatem sæuitiamq; contundere potuerunt.*

*Interiecto autem tempore cum Stephanus Princeps nulla ambitione, nullis amicorum studijs, sed sola litterarum, sapientiæ & virtutis opinione regnum esset adeptus, atq; ei simul magnus exercitus, quo bellum aduersus quoscunq; hostes gereretur, attributus, bellum Moschis longè grauissimum exortum est, quo repentè, Deo ipso tot parricidia vindicante, copijs, parte imperij, ac dignitate omni penitus spoliati sunt,*

*nec quidquam illis ex tanto regno præter amaras calamitates, & spiritum, & paucos ciues incolumes, reliquos fortuna fecit.*

*Enimuero Stephanus rex suopte ingenio maximè pius & generosus, pro dignitate Christiani nominis audendum aliquid ratus, valde necessarium & decorum existimabat, si Moschum hostem iudicaret eo consilio, vt vindicatis iniurijs, innocentissimos hominum cæsorum manes vlciscereturq; atque impios & execrabiles latrones, hominisq; vocabulo indignos bello persequeretur, qui sceleratis manibus templa, aras, ipsa denique mortuorum cadauera toties violassent; quiq; Sarmatarũ fines flamma ferroq; nonsemel deformassent, inexplebili nimirum regnandi desiderio occæcati. Priusquam ad arma ventum est, eam calamitatem varia præcessere prodigia vti magnis principibus accidere videmus. Nam & crinita stella paulo ante aliquot menses in aëre conspecta horrendum aliquot Moschorum genti portendere visa est. Fulmen deinde subitam secum cœli serenitatem adducens, ipso Christi natalitio Slobodam speciosam magnos*

magnorum Ducum habitationem, cum terribili ingentium structurarum & trabium ruina disiecit, rerumq; pretiosarum splendidissima suppellex, quæ ista in munitione asseruabatur, de cœlo tacta & consumpta est. In elegantiori vero camera cubiculum Basilidis ipsius vbi lectus erat fulmen intrauit, adeò cautè pererrans, vt ipsam simul vrnam feriendo diffyceret, qua captiuorum nomina ad libidinem forte principis educabantur. Expalluit ad eum nuncium tyrannus, & quum sibi magnoperè timeret, in maximam animi perturbationem incidit, vtpote qui scelerũ conscientia exagitatus, ex manifestis quoq; prodigijs insignem rerum suarũ commutationem facile præuideret. Præcipuæ admirationis etiã illud est, quod haud procul ab oppido Nalio ante hæc initia motusq; bellorum accidit. Egressi erant in proximam syluam viri tres & totidem fœminæ, vt, sicuti barbarorum istorũ mos est, ligna in vrbem adueherent. His crepusculo vespertino domum redeuntibus vox sine vllo authore ad aures peruenit: Moschi fugite, qua territi cum citato cursu oppidũ petere vellent, lapis ingens marmoreus, qualis apud Germanos aliasq;

aliasq; nationes mortuorũ ſepulchris impo-
ni ſolet, ictu fulminis ex aëre in terram ità
eſt propulſus, & in niues decidit, vt non
turbine violento ſed fabrili artificio depoſi-
tus eſſe videretur, in eo ignotiſsimis chara-
cteribus, litteraq; fugiente ſcirpus vel potius
epitaphium deſcriptum fuit, ſignificans
haud dubie Moſchorum ſepeliendum eſſe
Imperium. Ad ictum ſaxi cadentis tres
viri exanimati fato præcipiti interiere,
quorum corpora humi per aliquot dies, neq;
odore tetro, neq; deformi adſpectu mutata,
iacuere. Ipſæ quinetiam fœminæ noui-
tate monſtri perterritæ, eodem in loco con-
ciderant, ſed mox reſumpto ſpiritu cum ni-
uen ſanguineis guttis aſperſam cernerent,
nocte concubia pauido regreſſu ad ciuita-
tem delatæ, cum eiulatu rem omnem in ci-
uitate patefecerunt.

Huius igitur rei explorandæ gratia
omnes ad locum deſignatum effuſi, proſtra-
ta humi mortuorum cadauera, ſparſumq;
per niues ſanguinem & lapidem funeran-
dis hominibus debitum inuenerunt, atque
ità triplici oſtento moniti, certiſsimisque
monſtro-

monſtrorum ictibus pulſati, magnam patriæ, ruinam, & parum proſperos rerum ſuarum ſucceſſus eodem tempore perſpicari pectoris oculo præuiderunt. Ipſe Baſilides præmonitus diuinos ſpernere, ſuaq; conſilia cœleſtibus præferre ſolitus, iam inſigni æſtuantis animi perturbatione correptus erat, numeroq; oſtentorum numerum calamitatum ſignificari animaduertebat. eum tacitum mæſtumq; domi ſuæ hærentem ægerrimè conſiliarij adduxerunt, vt ad eum locum, in quo lapis erat, proficiſceretur. Tandem conſtantibus familiarium precibus compulſus, ſacrorum principem filiosq; ſuos extrà ciuitatem duxit, maculoſasq; ſanguine niues & lapidem ipſe adſpexit: ſtatimq; attonitus quid nam monſtri eſſet, & quid partenderet, interrogauit. Hærentibus in coniectura viris, Metropolitæ mandat, vt, quid litteræ exoleſcentes & incognitæ velint, explicet. Ille ſtatim non ſine magno timore neſcire ſe dixit. Igitur ſequenti die eductis ex carcere Sacerdotibus duobus, quos in Caconhuſio & Ouerpolo iure belli caperat, & quorum eruditio apud barbaros etiam celebris erat, libertatem & munera promi-

promiſit, ſi ænygma in lapide ſcriptum in-
terpretarentur, Sed cum nec illi characteres
ignotos agnoſcerent, nec abſtruſam numinis
voluntatem patefacere poſſent, fortuito vo-
cis iactu dimiſſionem ſperantes, & ad ipſum
principem conuerſi, Regionis, inquiunt, va-
ſtitatem vides, proinde ſile, & memento
placare numen: Pertinent enim hæc ſigna ad
populos, & imperium tuum. Perterritus il-
le tàm tetro reſponſo, & ommine horrendo,
ſtatim ſatellites inclamauit, iuſſitq; vt lapi-
dem in partes confringerent, protinusq; in-
de diſceſſit, miſer profectò, qui imminen-
tem calamitatem cæleſti iudicio deſtina-
tam, humanis conſilijs impediri poſſe exiſti-
mauit. Rex interea ad futurum bellum
copias, arma, cateraq; tam longinquæ mili-
tiæ neceſſaria ſumma induſtria parabat,
principes vicinos ſollicitabat, dubios illicie-
bat, nec alios exitus belli, quàm interitus
aduerſæ partis ipſi propoſitus erat. Ad Baſi-
lidem quoque rumor tanti adparatus vene-
rat, & iccircò in conſcribendo exercitu ipſe
etiã erat occupatus. Mos autem inter prin-
cipes eſt, ne bellum gerant, niſi illud per præ-
conem hoſti prius ſit denunciatũ. Decretum
itaq; in regio conſilio fuit, nihil fore ad nom
nis re-

nis regij claritatem, vel ad ipsius iustitiæ æstimationem vtilius, quàm principi sceleribus maculoso, & humano sanguine tot annos respersо singulari legatione bellum indicere. Ad eam autem rem Basilium Lopatinscum, natione Polonum, & virum nō vulgari animositate præditum, delegere, qui munus id obire pro dignitate posset. Cum illo proficiscebātur aliquot adolescentes summa nobilitate, vt & comites illius essent, & inter Moschos peregrinarentur. Hi ad fines hostis aduecti, à nobilitate & primarijs ciuitatibus multis honoribus accepti fuere. Posteà verò cum barbari intellexissent, animū regis ab ipsis dissidere, totamq; legationem bello innixam esse, parùm abfuit, quin regij maximum salutis discrimen adirent. Salui tamen in Moschouiā vrbem, vbi tunc Basilides erat, modicis itineribus peruenēre, à deducentibus commeatu, & rebus alijs abūdè instructi. Ibi aliquot dieb. in recreatione et quiete cōsumtis, à Basilide nuncius venit, qui Lopatinsco significaret, si sine periculo in regione magni ducis versari, imò si viuere vellet, ne cū stricto acynace aulā ingrederetur. Respondit Lopatinscus, se à magno duce et vita & fortunis

priuari

priuari posse, & vt hoc sanè expectandum sit, se tamen à mandato regis sui ad latum vnguem non discessurum. Omnibus genus illud responsionis superbum & intolerabile visum est, cum animis reputarent, & regum erga se superiorum obseruantiam, & insignem tumultibus bellicis trepitationẽ, et formidabilem magni ducis potestatem, quæ hactenus omnium animos horrore perstrinxerat. Lopatinscus tamen in sententia permansit, prudenterq; & disertissimè muneri sibi commisso satisfecit. Post aliquot deinde dies admissus & in senatum perductus, vt legationem exponeret, cum interrogaretur, ad quem missus esset, excelso animo respondit, se ad vniuersam Moschouiam missum esse. Nec enim hoc bellum opus singulorum, sed vniuersorum futurum. Cum quadrigis in regiam duceretur, cœli facies solito candidior erat, currumq; minister strictum gladium in manu gestans anteambulabat. Tum verò mucro radys solaribus percussus, tantum spectantibus terrorem iniecit, vt per totam vrbem maximus omnis ætatis & hominum vndiq; ad spectaculum confluentium concursus fieret, omniaq; va-

rijs

rijs clamantium tumultibus implerentur & nihil ferè consilio aut ratione ageretur. Cumq; quilibet primus omnium introire in aulam contenderet, & alij alios præpedirent, factum est, vt suprà homines centum multitudine suffocati ad ianuam occumberent; quæ quidem res & ipsa lethalis belli omen esse potuit. Basilides palatium in quo legatum exspectabat tapetibus & peristromatis instrauerat, multisq; odoramentis illud referserat. Seipsum verò vestibus auro fulgentibus, & gemmis clarissimis ornatum cultumq; in Lopatisci conspectum dedit, eumq; contrà naturam suam humaniter excipere visus est: Is vicissim Basilidem more Sarmatico salutauit, & idem reliqui Poloni fecerunt. Literas deinde Regis bullis aureis consignatas, ensemq; falcatum futuræ vltionis indicem Basilidi porrexit. Hunc ille crudeli vultu iracundè aspiciens, in admirationem magnam venit, quod hostis in peregrina regione tanta audacia tantum principem verbis asperioribus compellare ausus fuisset. Diexerat Lopatinscus vt Basilides de illatis iniurijs regi satisfaceret, nec Polonis ingrediendi Moschouiam necessita-

tem imponeret. Ille ex epistola mentem regis intellecturus, admodum cupidè eam resignauit, erat autem Rutenico sermone conscripta, cuius postulata hæc erant.

Primum, vt Basilides incommoda regno Poloniæ illata nunc tandem sarcire studeret, tanta enim & tam magna esse ea, vt tolerari amplius nullo modo possint. Deinde bellum illi manifestum, nisi ità faceret, minabatur & suam potentiam & opes exaggerabat, quibus confidebat futurum, si Moschus in pristino furore permaneret, vt impij & scelerati Principis nomen ex omni hominum memoria euelleretur, & Liuonicæ nationis populus in libertatem vindicaretur. Lopatinsci internuncij fidem confirmabat, & gladium, quem ille in belli signum attulisset, suo consensu redditum esse dicebat. Ad tradendam deinde Liuoniam & ad pacem societatemq; calendam Basilidem hortabatur, & pacem etiam tunc hosti libenter offerebat. Nihil sibi gratius fore adfirmans, quam illam armorum & belli tempestatem tempestiuè sopiri, & animorum consensionem fœdere sacrosancto inter vtrumq; populum icto confirmari. Crimina-

minabatur postremò horrenda facinora quæ in Liuonia Basilidis duces ediderant, eaq; dicebat non absq; contemptu numinis & iustitiæ gesta fuisse, & quod vltimum & præcipuum erat, iniurias regno Poloniæ ac Mag. Lithuaniæ ducatui illatas beneficijs omninò compensaret, obestabatur. Si aliter faceret bellum se non Moschorum magis odio, quàm Reipub. amore gesturum asseuerabat, cui ab optimo quoq; etiam spiritus debeatur. Has enim publicas inter populos non priuatas inter duces bellandi causas esse. Lectis litteris Basilides nondum ità trepidum se esse rescripsit, vt spoliari se regno pateretur, belliq; ea irritamenta, non pacis blandimenta esse. Ipsum verò Lopatinscum crudeliter hauddubiè accepisset, si per ius gentium id ei licuisset; quem tamen in hostitiũ duci & diligenter custodiri iussit, sed ità, vt omnes ei debiti personæ illius honores haberentur, & simul ad commeatũ necessaria omnia præberentur Belli nuncius breui tempore Moschouiam omnem longissimè peruagatus tantò barbaris amarior, quantò verior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Liuonensiũ opibus domesticis viribus restituerant,

quibus Turcarum potentiam Asiæ, Africæq; terribilem Astracanensi bello fregerant. Quæ sola gloriosa recordatio, maiorem futuri in vicinia belli timorem adferebat. Tantaq; trepidatio omnium fuit, quanta esse in magna calamitate inter victos & debellatos solet. Pungebat illos & scelerum conscientia, & Sarmatici regis potentia, minorem Principis sui exercitum nunc esse dicentes, vt tanto hostium adparatui resistere posset. Basilides tamen accepta inducia-rum renunciatione, nullam moram interponendam existimauit, quin ipse quoque rebus suis subueniret, & statim litteras ad omnes Moschouiæ vrbes, & ad magnates, et vniuersam denig; nobilitatem dedit, omnesque ad aulam suam euocauit, & quas potuit copias, continuò conscripsit, vt & arces in finibus Sarmatarum firmiori præsidio muniret, & repentinos hostium incursus profligaret. Cum auxilia vndique tuendæ patriæ gratia conuenissent, ad concionem milites vocat, eosq; varijs exhortationibus ad pristinam virtutem, & odium Sarmatarum incitat. Optandum sibi fuisse, ait, vt de eo liceret consulere, bellum ne sit cum Polonis, an

pax

pax habenda, quin verò sit repugnandum instantibus, nec eos quidem dubitare, qui saltem communi sensu vtantur. Quippe aduersus hostem si nequeant pro salute, pro vltione tamen bruta animantia cornibus depugnare. Caterum sibi esse victoriæ fiduciam, si sit illis animus: Polonosq; vinci posse cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, qui ex Smolensco Sigismundum, ex Polocia S. Augustum, ex Fernauia Henricum eiecerint. At si quidem aliena magis exempla quam sua experimenta malint, Scire se ab Alberto Borussurum Principe, Moschicis etiam nummis ad id bellum instructo, fusos multis prælijs Polonos. Scire perpetuam illorum in religione dissensionem, domesticam optimatum æmulationem, atque inuidiæ studium. Scire Maximiliani Cæsaris nepotes Poloniam breui ingressuros, & maximis eam, plurimisq; incommodis ob non traditum patri regnum, adfecturos. Multò autem periculosius ab alia parte ipsis imminere bellum. Nam è Precopiensium Horda si Tatttari immanis illa ferorum, atq; immitium populorum illuuies Boryslhenem transgrediatur, fieri non

*posse quin Poloniam aut occupent, aut vincant, aut è regione vastata prædam ingentem auehant. Audendum igitur & fidendum fortunæ, tantiq; adparatus adspectu debilitatos spiritus, pristini temporis memoria recreandos. Suas præterea vires non modo Polonico regno esse pares, sed eo etiam longè maiores. Smolenscum velint an Starodubum recensere: rursus Astrochaniam, an Casaniam, itemq; Polociam Liuoniamq; quarum quidem gentium nulla ab imperio & iugo Moschorum sit libera & immunis. Suam quinetiam ditionem præter arma, virtutemq; animi, locorum quoq; solitudinibus vel frigoribus instructam esse, per quæ denuncietur ingens militiæ labor, ac periculum. Sequantur se modò fortiter, & videant, quid se duce possint efficere contrà hostilem exercitum. Hæc & plura etiam cum Basilides in concione dixisset, statim etiam in bellum Polonicum incumbere cœpit. Interea autem in concilio regis decretum erat, vt Polocia primum oppugnaretur. Nam munitiones à tergo relinquere, nullis vmquam bellis gestis fuerat obseruatum, & commeatu milite, auxilijs, receptu denique ipso vltrò se excludere inconsultissimum videbatur.*

*Igitur*

Igitur anno supra millesimum quingentesimum septuagesimo nono, rex factis ab imploratione opis diuinæ principijs cum exercitu longè omnium ornatissimo initio veris SVIRO ad oppugnandam Polociam profectus est. Quoniam verò communi omnium consilio consociatis viribus impotenti, barbaro bellum terra mariq; adpublicã salutem inferebatur, iccircò confluxerant ad regem ex omnibus ferè nationib. inuicti & illustres militiæ Duces, qui expeditas, & omni bellico adparatu instructas equitum peditumq; cohortes in id bellũ trahebant, & erat alioquè in ipso regis nomine magna existimatio cum belicæ laudis, tùm æquitatis atque iustitiæ, cuius castra ex æmulatione virtutis præcipui etiam gentis Polonicæ magnates sequebantur. NICOLAO MELECIO, rebus in bello gestis, & amicitia regis insigni, copiarum omnium imperium delatum erat. Ille non tantum Podoliæ robora in legiones conscripserat, sed & aliarum nationum copias numero virtuteque maximè formidandas secum habebat Nicolaus autem Radiuilo, Vilnensis Palatinus, quem mirifica virtus & bellicæ laudis

*ſpecimen, atque item ingens patriæ amor ad ineundum bellum vehementiſſimè incitabant, cum florentiſſimis Lithuanorum copijs venerabili ſenio & virium robore inſignis aduenerat. Nec illius filij Chriſtophori alia quàm patris mens fuit, qui & ipſe natura ſtrenuus & maximè bellicoſus cum cataphractorum alis ornatiſſimis patrem ſequutus eſt. Erat quoque ijſdem in caſtris Ioan. Zamoſcius præclaro ſtudio omnibusq; ſenſibus & adfinitate arctiſſima cum Rege coniunctus. Eſt ille illuſtri quidem Poloniæ loco natus, ſed virtutis experimentis omni nobilitate clarior, quæ tanta in illo adparet, vt animi magnitudine, Philoſophia ipſa, prudentiaq; gloria celeberrimum apud omnes bonos nomen habeat. Iam cæteros principes vſu militiæ vigoreq; animi præſtantes, quid attinet commemorare? Nam & Stephanus & Ianuſius Zbaraſij hîc erant: Hîc Firlei, Radiuilones, Nicolaus Sapicha, Ioan. Helleboucius, Ioannes Ciſca, Philo Cmita, Bonarus, Sbarauij, Nicolaus, Taluoiſius hîc erant, qui omnes ea belli conſilia decoris & virtutis longè pleniſſima ſequebantur, & in quibus tanta ſapientiæ & virium*

rium magnitudo erat, vt qui eos ignoraret, non ex Polonia tantum, sed ex multis nationibus electos putaret. Baltazar autem Bathorræus, Palatini Fransyluanici filius pannonium, Christophorus Rosrazeuius Germanicum peditatum oblato stipendio conductum sub signis habebant. Dux Borussorum & Marchio Brand. Georgius Fridericus lectissimorum militum manum in auxilium mittebat, quibus præerat Ioan. Consicius à Prussia oriundus. Ernestus autem Vaierus erga Polonicam gentem studio ac operibus insignis, tamquam belli consiliarius accitus è Pomerania erat. Sacratorum quoque hominum, qui & ipsi in bellicos sumptus ingentem auri vim expenderant, tanta multitudo, tantus hominum vndique confluentium concursus erat, vt omnes communem patriam opibus & sanguine defensuri viderentur. Præmissi ab rege ad Polociam fuere N. Radiuilo & Caspar Beccasius itinerum claudendorum caussa. Hi cum propinquo ad arcem loco consedissent, caduceatores misere, qui omnia hostilia Moschis denunciarent, ni properè vrbe & arce excederent. Illos armata Moschorum statio ne-

quaquam admisit, nec populus ex regis adventu studium paullò alacrius ostendit. Rex deinde cum omni exercitu, & tormentis impedimentisq; bellicis, in summa viarum iniquitate subsecutus, vrbem obsidione cinxit. Sub idem tempus Basilides cum ingentibus copijs Plescouiæ erat, quem aduentu regis vehementissimè conturbatum ferunt. Versuto siquidem ingenio, cum tantam potentiam vni additam conspiceret, belli impetum formidabat, & antiqui quoque ratis carmina eum Principem non obscuris indicijs exprimere videbantur, qui à Sauo & Drauo toti Scythiæ, Moschouisq; præsertim & Basilidi summas clades esset allaturus. A copijs autem regijs quæ præcesserant, arces tres Cosiana, Crasna & Sithna per excursionem celeriter occupatæ, & incendio deletæ fuere. Parte alia Philo Cmita, Orsanensis præfectus, in magni Ducis ditiones longius progressus, hostibusq; viribus, animis, loco, atque fortuna abundè superior, non mediocrem omninò cladem Moschis attulit. Plurimis enim pagis incensis, Smolenscigq; suburbijs ambustis, totam illam regionem longè lateq; depopulatus

est.

*est. Quæ quidem rei benè gerendæ facultas Constantino etiam Ostrogiæ duci arma induit, qui pari celeritate & vigilantia cum Micaële Vieſnicuecio & Ianuſio filio Boryſthenem transgreſſus, inq; hoſtilem terram turmis aliquot Tattarorum inuectus, obuia quæq; peruaſtauit, & vſque ad Starodubum, Radhoſtiam, & Podcepouiam populationibus prolatis, ingenti cum præda domum reuerſus est. Rex ipſe cognita hac ſuorum felicitate, vndecima Auguſti propinquo ad mœnia loco caſtrametatus est, ciuitatemq; tribus locis circumſedit, eademque die munitiones foſſasq; propius hoſtem agere iußit, & poſtridie ciuitatem non mediocriter foßis, & aggere & propugnaculis, & parietibus denſiſsimis, & præſidio firmam, ea maximè de cauſſa, quod illo loco militem à propiore ad arcem acceſſu prohiberet, incendit, totamque paucis horis deleuit. Mox longius munitionibus ad ipſas arcis portas promotis, omni conatu in eam expugnandam incubuit. Sed oſtenderat vi ſua præpotens Deus, in manu ſua rerum gerendarũ poteſtatem eſſe, & aſſiduas pluuias pluribus diebus ità immiſerat, vt & operæ mili-*

militum maiorem in modum impediretur, & oppugnandi ratio etiam atque etiam retardaretur: Constitit tamen militi regio in maximis etiam incommodis singularis animorum ad omnia obeunda tolerandaq; ardor, sic vt in summa pluuiarum iniquitate, altiſſimoq; luto nihil prætermitterent eorum quæ ad oppugnationem pertinere possent: Hostibus contra omnes nostrorum conatus acerrimis animis, & incredibili tormentorum vi, ità dies noctesq; propugnantibus, tanta peruicacia, & flammas à regijs illatas extinguentibus, & vim omnem depellentibus, vt se tormentorum telorumq; ictibus certatim offerrent, & succumbentibus alijs alij confertim succederent, ostenderentq; Moschos arcium defendendarum vi atque ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit tandem regis exercitum benignissimus DEVS, concesitq;, vt quæ prima illi paullò serenior dies vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium à milite arci inferretur, summa cum contentione atque discrimine, cum se miles in fossas demittere, et Polottam flumen superare, deniq; arduum cliuum cui impositum propugnaculum

lum erat, subire & manibus materiam ignemq; inter infestissima creberrimaq; hostium tela inferre cogeretur: quod incendiũ cum vehementius exarsisset, & munitionis anterioris aditum aliquem patefecisset, teneri militum aliorum ardor non potuit, quin per ipsam flammam irrumperent, atque hostem ferirent, à quo tamen cœpto, cum propugnatione hostili, tum maximè flammæ vi reiectus est, paruo cum regiorum, neq; amplius viginti septem desideratis, pluribus tamen vulneratis, hostium verò ad ducentorum interitu, dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem, quam non seriam fuisse animaduersum fuit, cum se nouis munitionibus, flammæ altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugationis vim omnem adhibendam, nullum hosti quiescendi, aut se firmius muniendi spacium concedendum rex iudicabat: posteroq; die ignem in alias munitionis partes miles, in quo equites etiam erant, intulit, quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset, & cliuum, in quo propugnaculum anteà igni absumptum

erat,

erat, noſtri tenuiſſent, ac deinde præſidiarios circumire cœpiſſent, atque ſic tandem in poteſtate hoſtis eſſet: rex & ſanguini Chriſtiano parcendum, & operam dandam ratus, vt arce quam maximè integra cum tormentorum aliorumq; belli inſtrumentorum adparatu potiretur, facta omnibus vitæ gratia permiſit, vt qui militare ſub ſignis regijs vellent, fortunas ſuas omnes incolumes conſeruarent, quibus verò redeundi in Moſchouiam animus eſſet, id rege permittente, ac omnem ſecuritatem præſtante facerent. In ipſam verò arcem cum regij aliquot conſiliarij ingreſſi eſſent, paſſim magnum cadauerum inſepultorum numerum repererunt, tum tormentorum ac pulueris tormentarij globorumq; tantam vim deprehenderunt, quanta in arce aliqua Chriſtiani orbis his rebus inſtructiſſima poſſet reperiri. Capti autem hîc fuere Cyprianus Archipræſul Velicolucenſis Græci ritus, cum magno ſacratorum & Flaminum numero, Palatini item Baſilius Iuanouicius, Micolinſcus Telatouius, Demetrius Micalouicius, Scerbatus Sbolinſcus, Matthæus Iuanouicius, Volinſcus, Lucianus Treciacouius Racouius, hos omnes rex in cuſtodia haberi iuſſit,

*ausit, quia sponte se dedere noluissent, et praeter illos vltrà sex hominũ millia in regis potestatem peruenere, qui omnes tum verissimis lachrymis euersæ vrbis & arcis calamitatem, Russiæq; totius amissum decus, & denig; exsecrabilem principis sui insaniam deplorabant. Capta Polacia tres omninò arces, Turoulia, Socolũ & Sussa in Polocienſi ditione hostiles superarant, quas hosti relinquere rex nequaquam volebat. Turouliam quatuor suprà Policiã milliaribus ad Dunam sitam à Franſciſco Zuco anteà tentatã Conſtantinus Lucomſcius expugnauit: Sussenſes salutẽ, & xerũ, quæ cuiusq; essent auferendarũ potestatem, atq; in Moſchouiam tutò se inferendi conceſsionem pacti, cum omni bellico adparatu Palatino Podolienſi se ſexta Octobris die dediderunt. Socoli autem oppugnatio funeribus fertilior fuit, quã breuiſsimè huic voluimini attexemus. Ea arx à Polocia quinque milliaribus ea via distat, quæ ſeptentrionem verſus recta Pleſcouiã ducit, duorumq; concurrentium fluminũ, Dryſſæ ac Nyſsiæ complexus continet. In ea præter vetus præsidiũ, quod tuendi Policiã aditus cauſſa firmũ ſemper inerat, Theodorus Baſilij F. Seremetus, et*

*Bo-*

*Boryſſus Baſilÿ F. Seynus, Andreas Palecius, Micaël Georgÿ F. Lycus, Baſilius Criuoborſcius Palatini, claricum propinquitate Moſchouiæ Ducis alÿ, tùm rebus anteà geſtis omnes copiarum præfecti, cum magno Rutenicæ nobilitatis ac Slopettariorum numero conſederant, poſteaquam ſe aditu arcis Polocenſis excluſos intelligerent: acceſſerat huc etiam Georgius Bullahacus, cum duobus millibus Sclopettarioũ, partim Dunenſium, partim Volhienſium, qui ad Dunæ & Volhiæ fontium paludes ob perpetuas cum Tattaris dimicationes, cæteris belli vſu ac militandi peritia facile præſtant. Quum hi omnes magno diſcrimine regÿs ex propinquo caſtris imminerent, rex Chriſtophoro Radiuilone & Ioanne Voliminſcio ducibus Lithuanicas quaſdam copias ad hoſtem præmiſit. Secutus tandem eſt Podoliæ Palatinus cum iuſto exercitu, & Dryſſam fluuium imbribus proximis abundè redundantem, ponte ſubitario opere effecto transmiſit, hoſte quod facere in procliui erat, nihil repugnante, qui in aduerſa ripa ociosè tantum inequitans, metus faciendi ſtudio clarè, vt à noſtris audiri poſſet, ſubinde clamabat, adeſſe apud ſe*

*Aſtra*

Astracanorum, adesse Casanensium copias. Flumine superato Palatinus propius hostem mouet. Qua accesserat inter vtrumq; flumen non magno ab arce interuallo sylua est, in qua maximam equitatus partem tendere iubet, peditatui imperat, vt munitiones, in quibus versarentur, & tormenta dirigerent, fossa atque aggere subito efficiant: quas Poloni secundum Nyssam, Germani secundum Dryssam ad arcem perduxere. Vltrà Nyssam amnem minorem, quà proximè hosti effugium patebat, Ioan. Sbarasius custodire iubetur. Rebus ita ad oppugnationem perfectis, cum iam in vesperum dies vergeret, qui tormenta administrant, periclitari rem globis candentibus instituunt, tribusq; in hostiles ditiones perlatis, cum alij alijs locis periculum incendij adferrent, & ijs restinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo nascens primum fumus, mox flamma ab hoste non facile potuit deprehendi, vires cœpit: ab hoc incendium ortum cum magnam hostilium munitionum partem subito complexum esset, hosti summam defensionis desperationē attulit. Quo circà & perditis trepidisq; rebus, & flam-

ma se iam longius latiusq; fundente pars magna hostium globo temere facto, porta, quæ meridiem versus ad Nyssam una patebat, confertim erumpunt, quibus ex proximis munitionibus Poloni impigrè occurrunt, & obsistunt; interea perducitur eodem propere signo sublato Germanorum Sclopetariorum cohors, & sic tandem hostis in arcem flammamq; reijcitur, quem dum nostri magna vi premunt, se atque signa portæ arciq; inferuut; dabat mox hostis intrà arcem desperatis rebus magnas cum armis tum verbis dedendi significationes, quas cum miles Germanicus Rutenicæ linguæ ignarus, prætereà Polocensis præsidij crudelitate, quæ immanissima in captiuos omnes ac præsertim Germanos usi fuerant, irritatus, minimè acciperet, cædemq; acerrimè misceret, ille desperata salute totis viribus contrà dimicat, quæq; supra portam custodiæ erant, cataracta è turri portæ imminentem in irrumpentes deiciũt, sic nostros receptu alios, alios aditu subsidioq; excludũt: atrox inde vtrinque pugna fuit, æquata vtrorũq; desperatione ob incendij vim, quod vndiq; se circumfuderat, ac pluribus locis dimicantes inter se

pari

pari interitu victos ac vincentes exstinguebat. Occidit hic Martinus Rebsæus à Silesia oriundus cohortium Germanicarum præfectus, qui per medicas flammas, per pilas innumerabiles, per tela, per gladios sine vlla formidinis significatione in munitionem irruens hostes longè lateq; ceciderat; sed properati consilij pœnas acerbissimo casu luit, & simul exemplo suo mortales humanæ imbecillitatis admonuit, ne nimis viribus suis confiderent. Arx ipsa incendio conflagrauit, creditumq; est Moschos eò quod insolentius oblatam pacem spreuissent eas pœnas diuino iudicio pependisse. Hostium ad quatuor millia occidione cæsa fuere, & in his Borissus Seynus, Andreas Palecius, Micaël Lycus, Bas. Criuoborscius Palatini in occisorum numero inuenti; Captiuorum ea multitudo fuit, vt & penes copiarũ præfectos permulti essent, & Polonorum militum propè viderentur nulli, qui in potestate nõ singulos alij, alij plures haberent: Horũ in numero Seremetus erat, et rerũ gestarũ gloria, et corporis specie vultuq; & animi sermoniq; cultu cæteris præstantior, & Mesoiadus Dunensium cohortium præfectus. Vterque cum honestè

mori posset, hosti manus vinciendas dedit, clademq; suorũ auxit dedecore captiuitatis. Socolensium fœdus interitus cum in Moschouia nunciatus esset, omnes relictis domibus per vrbem discurrere pauidi, alius alium scisciatari, authorem nunciy requirere: non pueros insciția, non senes debilitas, non mulieres sexus imbecillis domi tenet, adeò ad omnem ætatem tanti mali sensus penetrauerat. In foro deinde coëunt, atq; ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. alij fratres, aut filios aut parentes deflent; maritos viduæ, alij cognatos, alij amicos chariores cognatis, & cum priuatis casibus querelam publicam miscent, felicioresq; prorsus priores suas calamitates dicunt, quæ incolumibus filijs, parentibusq; tectorum tantum ruina taxatæ sint. Basilides eo tempore Plescouiæ cum exercitu erat. Is Polociam obsessam & in angustias redactam esse sciebat, sed captam teneri nondum audierat, multò minus etiam de Socoli excidio sollicitus. Itaque cum de suorum clade nuncium accepit, in maximam animi perturbationem incidit, consestimq; Andream Solcanum annuli sui custodem, quem in vr-

in vrbe Moſchouia cum poteſtate reliquerat, de diſcrimine ſuorum fecit per internuncios certiorem, mandans ſimul vt populũ in officio contineret, hoſtiſq; victoriam modis omnibus diſerto ſermone extenuaret. Solcanus lecta Principis epiſtola omnem ſtatim populum in concionem vocat, & neſcitis ait, ô ciues, quam tandem ob cauſſam hunc conuentum indixerim. Scitote autem Polociam noſtram eſſe captam, & Socolum ferro flammisq; exciſum, caterasq; in vicino arces ſub hoſtis noſtri ditionem ſubiunctas. Qui quidem nuncius terrorem vobis & deſperationem incutere poſſet, niſi cum animis veſtris cogitare velletis, rerum omnium viciſſitudinem quandam eſſe, nullumq; in terris principem haberi, cui non incidant aduerſa quadam. Iam ſi Poloni Polociam recuperauere, nos certè totam contrà Liuoniam poſſidemus. Paucas illi arces Euerterunt, nos magnas illorum ciuitates ſub imperio habemus: illorum exercitus paruum albæ Ruſſiæ tractum: noſter Smolenſcum, Starodubum & Liuoniam occupauit. Sed fortaſſis hominum iactura animos veſtros pungit, fateor equidem in

*Polocia tot nobiles militiæ præfectos, tot ciues, tantas nostrorum diuitias amisimus. In Socolo flos nobilitatis et fortium virorum interijt, templa, aræ, oppida, & agri combusti sunt: ferendum hoc nobis est, quando hostes longè grauiora mala sunt perpessi. Sicut enim illi nostros, ità nostri illos aliquando ex Polocia, Smolẽsco Liuoniaq; eiecerunt: Sicut illorum ensis fratrum nostrorum sanguinem hausit; ita nos illorum sanguine sæpissimè fuimus aspersi. Cùm hæc ad circumstantes Solcanus dixisset, ciuium animi, qui dolore premebantur, ad tolerandum malum mirificè confirmati sunt. Fœminæ autem longa exspectatione virorum fessæ, nec iam teneri bello, sed deletos certæ, querelas flebiles edunt, malisq; suis additam orbitatem conqueruntur, & quasi mente commotæ regiones ciuitatis eiulatu & lachrymis complent, mox Solcanum adeunt, eumq; monent vt coniuges reddat, vt felicioribus nuptijs priores compenset, vt pupillos & viduas respiciat, aliæ ploratu nequaquam contentæ, vt primum est occasio data, pectus suum gladio transuerberarunt, ac vulnere diuulso, constan-*

*conſtanti dextra, ſpiritum luctus acerbitate permixtum, ex ipſis præcordijs, & viſceribus hauſerunt. tam violenta morte teſtatæ, quantum coniugalis flammæ illo pectore clauſum habuiſſent. In eo tumultu mulierum vltionem cæſorum coniugum magno fletu expoſcentium, Solcanus animi dubius permutato habitu, more triſtium in publicum progreditur, & aduocata iterum concione, rei indignitatem populo commemorat, deq; importunitate fœminarum, à quibus multa nefanda audire coactus ſit, queritur: adduntur voci lachrymæ, & diſerta oratione multitudo credula pacatur. Noſtris inquit, maioribus quantum mulierbris ſeditio nocuerit, id ex noſtræ gentis annalibus ſcitis. Priſco enim ſeculo cum duo regij iuuenes Plinos & Scolopytus factione optimatum domo pulſi, iuxtà Thermodoonta amnem conſediſſent, atq; ibi cum ingenti iuuentute Scythica per inſidias circumuenti & trucidati eſſent. Illorum ſtatim vxores, cladem virorum, neceſſitatem armorum, belliq; cauſſas oſtendentes, ne ſegniores viris haberentur, arma ſumpſere, interfectiſq; patribus & natis tyrannidem occupauere.*

*Hinc nimirum generatæ Marte Amazones noſtræ originem trahunt, quæ Europam Aſiamq; cædibus & ſanguine impleuerunt. Hinc Martheſia, hinc Orithya, hinc Antiope, Menalippeq;, hinc Thaleſtris Alexandri ſcortum ortum eſt. Profectò autem, niſi cauerimus, nunc ſimile aliquod malum ceruicibus noſtris impendet. Quid enim iſti clamores? quid muliebris petulantia? quid ſibi concurſus iſte? quid hæc vult ſeditio? vbi eſt authoritas noſtra? vbi imperium? magiſtratus? quin tandem hæc conuenticula abolemus? igiturne barbararũ conſpiratione interficiemur? Ego quidem mori malim quã has indignitates ſpectare. Quoniam autem viuere cogor, & quoniam vobis etiam hac lucis vſura fruendum adhuc eſt, reſuſcitate quæſo adſpectu huius infortunij debilitatos ſpiritus, vtimini veſtra authoritate, & hos mecum tumultus compeſcite. Perpeſſi ſumus calamitatem, iacturam ornatiſſimorum hominum facimus, verum id quidem eſt, & propterea iuſtè in luctu verſamur. Sed dico vobis non aliam eſſe belli fortunam, nec res præclaræ ocio atque ioco, ſed armis, equis, viris, mor-*

*tibus*

tibus perficiuntur. Absoluto sermone, virgas in concionem & flagella adferri iussit, cateraq; seruilis metus parandi instrumenta. Qua re tantum additum timoris & angustiæ fœminis est, vt statim è conspectu minantis trepidè aufugerent, & partim ferro, partim suspendijs vitam finirent.

Quum enim infestiores suos quam hostium Duces inuenissent, in desperationem lapsæ sibijpsis mortem consciuere. Suprà diximus quid Philo Cmita, quid Ostrogiæ dux in hostico fecerint, eos secutus Mecislauiensis præfectus, Iaroslauiamq; aggressus, opulentum illud oppidum incendit & euertit, populationibusq; longissimè in hostico prolatis obuia cuncta tamquam tempestas quædam profligauit. Ipse autem rex spacio dierum quinquaginta septem munitissimas arces, mira agrorum fertilitate, magnaq; fluminum opportunitate præditas occupauit, tantamq; ipsi Basilidi & magnatibus Moschorum trepidationem iniecit, vt Nouogrodiæ magnæ legati Iuanus, F. Mecislauiensis, & Mikyta G. F. Romanouicius Sacharinus scriptis ad Palatinum Vilonensem aliosq; Proceres litteris bellum deprecarentur. Rex

tamen hoſte nondum è Liuonia exacto ab armis ſibi minimè diſcedendum putabat, cogitabatq; quantum ea victoria fructus, quantum gloriæ, quantum ſplendoris Reipub. attuliſſet. Secutum tandem eſt comitium Varſchauienſe ſecundum, in quo de continuando victoriæ curſu, deq; conficiendi belli rationibus communi omnium ſuffragio deliberatum eſt. Erant nonnulli qui priuatæ cupiditati potius quam bellicis conſilijs obtemperare vellent, hoſtemq; in vaſtis & remotiſſimis regionibus habitantem non eſſe amplius laceſſendum dicerent, quando ille aduentitium exercitum cunctando fallere poſſet, & magnæ etiam annonæ difficultas, certaq; rerum viciſſitudines ſpes hominum nonnumquam eludere conſueuiſſent. His opinionibus præſtantiores in populo ſua ſuffragia opponebant, non tàm de perſequendo bello quàm de rebus ad id continuandum neceſſarijs diſputantes. Alij honeſtiſſimos regis conatus proditione remorari cogitabant: nefarioq; prorſus conſilio & inſanæ audacia in perniciem communis patriæ conſpirauerant. Princeps fuit Gregorius Oſchycus, honeſto quidem genere natus, ſed cor-

pore

pore ac ingenio inerti præditus, iudicioq; turbidus & leuis, vti his sæpe accidit qui ab exuberantia atræ bilis insaniæ proximi, dum præsentia non probant, immoderata & inaudita cogitatione persequuntur. Corruperat auari ac peruicacis ingenij hominem Nancekynus Basilidis ad regem legatus, qui eum ex sui Principis liberalitate ampliſsima præmia consequuturum dixerat, si accepto auro, conductisq; & instructis celeriter copijs in absentia regis Lithuaniam longè lateq; depopularetur. Cum enim nec bellum regi dissuadere, nec eum domi detinere, nec legatos paificationis gratia impetrare posset, cunctis admirantibus diutius Vilnæ hæsit, & non vocatus in senatum reuersus est, de coniuratione interim promouenda, de tempore & loco, deq; asciscendis socijs qui idonei ad id patrandum facinus viderentur, maiorem in modum sollicitus. Sed eo Vilna digresso Dei beneficio Oschyci consilia deteguntur, qui iussu regis ab Hussaris occupatus, & statim in vincula coniectus est, cumque adhibitis tormentis egregiè tacuisset, prolatis demum litteris, nequaquam inficiatus manum, cuncta propalauit, &

& ſtatim ſaui ac inſolentis ingenÿ ſui pœnas dedit. Productus enim in editiſſimum vrbis locum cum duobus inſidiarum conſcÿs, Iudæo vno, altero Sarmata, ſecurì percuſſus eſt, tali profecto interitu vir valde dignus, qui regem, ſub cuius tutela habitabat, patriam, quæ, illum genuerat, aras q; quibus perſæpe manus admouerat, ſceleſtiſſima proditione euertere cogitabat. His perfectis rebus & præſidio finibus impoſito, contrà vim ſeditioſorum hominum, rex nequaquam Smolenſcum oppugnandum decreuit, vbi plerique omnes eum facturum opinabantur, ſed cum omni exercitu ad Velicolutum profectus eſt. Nam & magna ſenatorum omnium ad eam rem erat conſenſio, & Seremetus ille, quem in Socolo captum anteà memorauimus, huic propoſito non magnoperè aduerſabatur. Dixerat enim Baſilidem Velicoluienſibus omninò auxilio venturum, adfuturamq; ea ratione vniuerſo prælio dimicandi occaſionem quam ſibi cunctis artibus parandam rex arbitrabatur, ſequebaturq; quam maximè ipſam ſeriem gerendarum rerum, quæ eum ex locis anno ſuperiore expugnatis, recenti. Velico-

lucum

lucum vocare & ducere videbatur. Prætereà arcis situ, fama, ditionis amplitudine, vbertate, opportunitateq; ad signa sua penitius in hostilia loca inferenda adducebatur, vt in sententia semel susceptа permaneret. Cum apud Lucomlam copias recenseret, Georgius Farensbegius & Christophorus comes Rozrazeuius cum ornatissima equitum ala ad eum venere. Igitur Videpsium primum, inde Surasum cum exercitu progressus Dunam fluuium, quem magis magisq; ab hoste in potestatem suam vindicare statuerat, traiecit, & in itinere duas longè fortissimas arces per suos belli duces cæpit, & Vedisium quidem Ioannes Zamoscius expugnauit, ad Vsuiathum verò Nicolao Radiuilone grauissima obsidione pressum rex ipse tandem subsequutus est, eamq; arcem metu potius admoto quam vi adhibita obtinuit, contractisq; iterum copijs omnibus, quas duarum istarum arcium oppugnatio diuiserat, mouit, & superata incredibili locorum vastitudine, per assiduas densissimasq; sylvas propius Lucum venit, & vigesima sexta Augusti die ad arcem castrametatus est. Oppidum enim & triginta templa ciues metu conster-

consternati incendio deleuerant. Sub idem tempus ab Magno duce Basilide legati in castra venêre, illi cum nulla interposita mora audirentur, & contrà omnes rerum gerendarum rationes, contraq; dignitatem regiam multa impudentissimè arroganterq; postularent, rex repudiata insidiosa barbarorum tergiuersatione, non cessandum ratus, Ioannem Zamoscium cum copijs suis atratis caterisq;, quas ad Velisium habuerat, cumq; omni peditatu Vngarico atq; Polonico, trans flumen propius arcem castra alia facere, atq; ibi curare iussit, nihilq; aut lenitatis, aut terroris, aut oppugnationis non adhibuit, quò integra arce potiretur. Velicolucum autem loci naturâ in edito, planissimis circum campis, partim intra fluminis Louatij, partim intra lacuum complexus situm: nec tantummodò consuetis antehac Moschis parietum densissimorum contignationibus firmum, sed aggere etiam densissimo ac latissimo & cespite extrinsecus obductum, fossaq; maiore (quà flumen aut lacus non ambiunt) firmissimum erat, Præsidiariorum etiam summa erat loci retinendi pertinacia, qui & vltima sibi expectanda iudicabant.

Igitur

*Igitur cum ſine maiori militum interitu expugnari non poſſe videretur, neceſſariò res regi incendio experiunda fuit, quod cum magna militum virtute primum ex Vngarorum munitionibus illatum, & deinde per atratas illas cohortes maius conflatum eſſet, factum eſt, vt & arcem flamma, & quidquid propè hominum in arce fuit quinta Septembris die deleuerit Superfuere ex omni multitudine Monachi aliquot Græci ritus, & tres militum præfecti. VEICO penes quem ſumma rerum fuerat, homo nequiſſimus, & Baſilidi valde charus, conſpecto & in Moſchouia cognito Farensbegio ſe dedidit, illoq; etiam repugnante ab Vngaris in fruſta diſcerptus interijt. Eo ipſo die rex cum omni exercitu & multis haſtatorũ millibus in apertos campos progreſſus, hoſtis quidem incommodo periculoq; lætatus eſt; ſed cũ plena omnia cadaueribus luctuq; conſpiceret, cumq; multo puerorum & fœminarum ſanguine omne camporum æquor maderet, lachrymis tenere vix potuit, eo etiam vehementiore dolore perculſus, quod ſpreta pace, ſalutaribus conſilijs nequaquam animum inflexiſſent, reſponſoq; ſecus atque ipſe optaſſet*

optaſſet dato, vltimum ſibi interitum pepe-
riſſent. Eorum autem hominum qui ex agris
in oppidum ſeſe intulerant, quiq; in eo ha-
bitauerant, ac in præſidio conſtituti arma
tulerant, vltrà octo hominum millia fuiſſe
compertum eſt. Hoſtibus cæſis & Velicolu-
delcto, quemadmodū hæc res porrò admini-
ſtranda, & quomodo iſte locus impoſito præ-
ſidio retinendus eſſet, de ea re rex ſtatim
conſultare cœpit, & cuncta militiæ muni-
honoresq; & magiſtratus inter ipſos magna-
tes & belli duces æquo ordine partitus eſt.
Deinde ad Turopecium, quod ſedecim à Ve-
licoluco milliaribus diſtat, & ob ſummam
viarum difficultatem & ſyluarum denſita-
tem aditum haud facilem habet, Ianuſium
Sbaraſium Georgiumq; Barbum miſit. Hos
Tattari & Moſchi deſperatione quam vir-
tute inſtructiores oppetebantur. Incitatis
ad prælium equitibus Polonis, hoſtes nullo
virtutis argumento edito fugiunt, quos regij
conſecuti vinxere alios, alios torſere, non-
nullos etiam occidere. Deſiderati ſunt in-
ter Moſchos pleriq; viri præſtantes, & his
in his capti Dementinus Ceremiſſa cubili
Baſilidis præfectus, & Nancekynus ille
multis

multis legationum honoribus clarus, qui & nuper adeò Oschycum in coniurationem pertraxerat. Post hæc Neuelam arcem inter Velicolucum & Polociam quasi intermediam aggressus, Nicolaum Dorohostaiscium cum exercitu misit, qui eum debellaret, sed ille propter tormentorũ defectum, sine quibus nulla vis vel militaribus copijs nullaq; vel optimo duci inest authoritas, hostes nequaquam domare potuit. Missus itaq; est Ioannes Bornemissa vir fortis accerrimusq;, qui educta ex regijs armamentarijs in præsentes vsus tormenta secũ habens rebellantes sub imperiũ regis subiungeret. Moschi id sentientes tumultuaria eruptione Bornemissam inuadunt; ille cum velut in insidias præcipitatus armatis hostibus concubia nocte occurrere cogeretur, intrepidè tamen instantes prementesq; sustinuit, nec multo post hostilibus tectis ignem inferri iussit, vt in summo rerum discrimine præsidiarios à tuenda arce ad restinguendum incendium nequaquam inepta ratione reuocaret. Ità domiti Neuelenses nostrorum in potestatem concessere. Porrò vt Turepecium ab vno, Sic Zauolocia ab altero latere Velicolu-

eo imminebat, quam rex nequaquam hosti relinquendam esse arbitrabatur. Ioannes Zamoscius autem cohortes ductabat generosa militariq; ferocia valde terribiles, & quod spes ipsas & studia militum vehementer excitare solet, dux etiam fortunatus ab omnibus habebatur. Ille cognita regis voluntate Zauolociam celerrimè sibi conuolandam existimabat, priusquam ea maioribus præsidijs confirmaretur, hoc vno contentus, quod Neuelam, quam rppugnare etiam debuerat, non tantum captam, sed & barbaros hostes tota penè illa veteri bellicæ laudis opinione exsutos esse meminisset. Ergò magna alacritate raptato exercitu, propositisq; ad excitandos milites præmijs, superato difficilimo itinere Zauolotiam venit, vbi aduocata militum concione, eos alacriter est cohortatus, vt secum paullulum adniti vellent, impigréque pugnare, vt mox tantorum itinerum incommoda ditissimæ arcis spolijs resarcirent. His magno studio acclamantibus, ille statim tormentis arcem quatere, propugnatores densis pilis obruere, testudines & scales admouere, muros-

murosq; & vallum excindere cœpit. Qui in præsidio erant hostium impetum fortissimè, vt poterant, repellebant. Post longam dimicationem Zamoscius præsidium deiecit arcemq; suæ potestatis fecit. Dùm hæc apud Zauolociam geruntur, Nicolaus Radiuilo Iezurisciam expugnat. Præsidiarij enim incolumitatem & reditum ad suos pacti dubiæ se clementiæ hostis credere, potius, quam indubitato malo perire voluerunt. Qui quidem insperatus nouæ victoriæ prouentus, regi incredibilem attulit voluptatem, qui hostibus aut victis aut supplicio adfectis nullum requiescendi spacium dedit, excursionibusq; versus Porchouum Opaciamq; factis, hoc ferè bello Moschouiæ imperium rapuit. Basilides interea ità bellum gerebat, vt & vxorem ipse septimam in matrimonium duceret, & filio etiam Iuano sponsalia celebraret. Verum subditis tam intempestiuè nuptiæ grauiores repentinis funeribus fuere. Rex autem ex militia ad suos domum reuersus, conseruator reipub. & patriæ pater publico decreto est appellatus. Sciebat ille, quæ se Basilides, in tantis incommodis, magna pusillanimitate,

*ista imbecillitate virium, opinione & spe sustentaret, quod scilicet Polonos ab incepto desistituros frustrà opinaretur, & à transfugis exploratoribusq; didicisset, ordines regni ad tertiam contributionem aliaq; pecuniæ subsidia ægerrimè descensuros, & ipse etiam rex etsi quæ bello diutius continuando impedimenta obsisterent, facile videbat, & contribuendi grauitatem intelligebat; Tamen faciendum videbatur, quod veteri in prouerbio est, vt minima de malis. Cumq; ad talium difficultatum explicationem, ordinum omnium consideratione opus esse sciret, generalem omnium reipub. ordinum conuentionem Varschauiæ indixit, in qua tertium contra Moschos bellum communi consilio decretum, & longè maximis viribus Plescouiæ totiq; adeo Moschorum genti illatum est. De eo nos summa sequentes rerum fastigia nunc quidem breuiter tantum quædam dicemus, ea potissimum de causa vt videant mortales quomodo maximus ille cœli terrarumq; Dominus impietatem Basilidis grauissimis pœnis & supplicijs compensauerit. Plescouiæ ducatus sui olim iuris fuit, Principesq; virtute bellica*

*illustres*

illustres habuit. Sed Ioannes Moschorum Dux corruptis pecunia sacerdotibus omnem eam regionem suo imperio subiecit, & vrbem proditione cœpit. Euersa deinde repub. electisq; per vim veris ciuibus, vinculis constrictos in Moschouiam transmisit. Ne tamen vrbs vacua cultoribus esset, subditos suos, cum quibus benè illi conueniebat, in locum electorum substituit. Vrbs ipsa ædium magnificentia, ciuium frequentia, diuitiarum abundantia, telluris fertilitate illustris & clara est, muris quoque inuictissimis cincta, munita turribus, & ad adspectum pulcherrima. In illam mercatores è Persside & Tattaria, & Sarmatia, & Liuonia & Germania & Britannia, & ex multis regionibus alijs sæpe commeant, propter admodum celebre emporium. Olim in ea prater indigenas aduenæ quàm plurimi habitauere, nunc peregrini intrà mœnia nequaquam recipiuntur. Eam verò rex capere cupiebat, vt inde Moschouiam omnẽ infestam redderet, & exitus hostium, quibus Liuoniam primum, deinde etiam Lithuaniam inuadere solebant, intercluderet. Inde etiam Nouogrodia magna tantum tri-

ginta sex milliaribus distat, ità vt sit facillimum capta Plescouia, Nouogrodiam, cum opus fuerit, occupare. Nec arduum minus videbatur inde in ipsam Moschouiam, quæ magni Ducis sedes est, excursiones facere. Igitur bello decreto, cum anno supra mill. quingent. octuagesimo primo III. Cal. Maij Varschouia Vilnam reuersus esset, intrà dies paucos multa militum millia in eam ciuitatem confluxerunt. Importata etiam sunt ex omnibus regni partibus tormenta & commeatus & munitiones, & arma quàm plurima, vt rex iusserat, adducta. Imperator exercitus Ioan. Zamoscius designatus fuit, cuius eximiæ prudentiæ spectatæq; virtuti rex plurimum confidebat. Ille fortissimorum equitum alas atratasq; cohortes in bellum ductabat. Cæteri quoque belli Duces ex Polonia, Lithuania Vngariaq; exercitus maximos comparauerant. Farensbegius lectissimorum & veteranorũ militũ duo millia è Saxonibus adducebat. Sub idem tempus legati Moschouici Vilnæ præstò fuere, vt & bellũ deprecarentur, & regem domi detinere omni conatu & diligentia studerent. Sed cum nihil præter

vanis-

vanissimas sui Principis epistolas reddidissent, vnde venerant eo remissi fuere. Rex autem in conficiendo itinere summa celeritate vsus est, adeoq; castra promouit, vt hostes quem adesse non senserant, iam se videre vix putarent. Ordines lectissimi militiæ Principes ducebant, vt si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscæ reipublicæ videre diceres. A Plescouia haud procul Ostrouia abest, quæ non tantum Serotha fluuio ab vno latere alluitur, sed ex lapide etiam firmissimo ædificata est, congestisq; aggerum molibus munita. Erat tunc quoq; armis & tormentis, & hominum multitudine, firmoq; præsidio instructissima. Hanc omninò debellandam esse rex existimabat, vt ità Plescouiensium vrbem terreret, priusquàm ea vel oppugnata, vel totis castris circumsessa esset. Ita regij cum triplici agmine murum subire, dissonisq; clamoribus, tubarum cantibus, tormentorum crebris ictibus strepitus horrendos edere cæpissent, qui in præsidio erant metu territi ex arce trepidè aufugere, omnemq; illius tuendæ curam & cogitationem confestim amisere. Rex tamen à direptione milites suos

*prohibuit, veniamq; his, qui capti erant, dedit, præfatus bellum se cum Basilide, non cum infortunatis ciuibus gerere, cuius interitu, omnis ira bellumq; finiri posit: nec minori sibi gloriæ fore, si ab se Moschouia seruata sit, quam si capta euerteretur. Parcere igitur se muro arcis, ac tectis, quoniam homines quibus parceret, magna ex parte aufugissent. Capta Ostrouia rex eadem alacritate propositis ad excitandos milites ingentibus præmijs Plescouiam contendit, & ad eam tertijs castris peruenit, triduoq; postquam fieri maximè potuit, castra metatus est, ciuitatem q; magnitudine ingentem, frequentem oppidanorum & è vicino nobilium atque agrestium hominum multitudine, nec paruo militum præsidio firmam, situ verò loci æquabili & ex parte vna flumine Velicarica, præterea muris, propugnaculis, turribus lateritijs satis munitam conspectu suo comperit, nec eam occasionem, quam rumore omnium persuasus animo conceperat, nactus est. Nam & ciues ad bellum egregiè sustinendum parati erant, & Principes ciuitatis sese deuouerant, quod aut mori, aut hostem repellere vellent, & inter præsidiarios*

*quoq;*

quoq; magnus erat deuotorum numerus. Accedebat huc quod litteris à Principe suo nuperrimè acceptis ad fortitudinem magnoperè erant incitati: Vltima enim supplicia timidis minatus fuerat, & alios spe præmiorum longè maximorum inflammauerat. Communi autem consilio Basilius Suscus, nobilissimus Rutenus, delectus fuit, qui ciuitati præesset. Is cum munus animo militari & confidenti suscepisset, omnia quæ ad defensionem necessaria viderentur, strenuè comparauit, commeatum in vrbem intulit, munitiones instituit, vigilias disposuit, perpetuoq; turbarum concentu, & horribili tormentorum reboatu regios benè vigilare coëgit; nonnumquam eductis ex vrbe copijs acerrimè cum illis dimicauit. Rex quoque actis ex parte australi munitionibus murum tribus ex partibus summa vi tormentorum omnium verberauit, proximisq; propugnaculis tribus perfractis & muro patefacto, aliquem delectorum militum numerum intrà ruinas immisit, qui explorarent, idoneane iam loca ad irruptionem effecta essent. Tùm cæteri militari quodam ardore incensi, non exspectato aliorum indicio

*sublatis signis statim subsecuti sunt, & inter hos nobilissimi aliquot cohortium praefecti fuere. Beccasius ab Vngaria oriundus, & summo in regem studio & voluntate propensus, in hoc certamine globo in frontem immerso occisus est. Farensbegium tamen multas horas in muro dimicantem melior fortuna incolumem praestitit. Pugnatum est vario euentu. Nam multi ex nostris grauissimè vulnerabantur & ex hostibus plurimi missilibus confixi cadebant. Geri verò res ex sententia ob loci intrà mania iniquitatem, & praeruptum altumq; descensum non potuit; & tamen miles regius propagnacula duo hostilia totum diem tenuit. Territus ad eum modum Suscus litteras ad Basilidem facit, eumq; de Polonorum potentia, & de discrimine calamitateq; suorum reddit certiorem. Tabellarius vix vrbe egressus à regijs capitur, dati fasces epistolarum ad regem deferuntur, ex quibus praesidiariorum metum & pertinaciam facile cognouit. Interea ex Europa Asiaq; legati in castra venere. Turcicus cum regi de superioribus triumphis gratularetur, & sui Principis nomine copias ad persequendum bellum minimè*

mè contemnendas offerret, admissus quidem non est, nec in fidem societatis receptus. Possevinus autem Iesuitica professionis flamen, qui ab Pont. Max. tamquam pacificator missus erat, honorificè susceptus est, & in summa dignitate apud omnes fuit. Erant nonnulli qui crederent eum pacis adferre conditiones. Pontifex enim interposita sua insigni authoritate dissidium illud tempestiuè componere studebat, ne fortè ex talibus principijs reipub. Christianæ malus aliquod detrimentum oriretur. Et sapissimè quidem in vtramq; partem de ingentibus illius belli incommodis disputatum fuit, cum diceret Possevinus, vsitatum quidem regibus esse vt bello contendant, & ipsum quoque Basilidem, tàm immanem Christiani sanguinis helluonem, excidio dignum videri: Quippe qui toties fidem fregerit, qui iurisiurandi religionem violando ità perfidiam suam manifestauerit, vt nunc etiam non iniuria omni fide indignus videri possit, cum & homo sit eximijs simulandi artibus & fraude Græca egregiè iustructus:

Nunc

*Nunc tamen adeò graues eam temeritatis*
*suæ pœnas dedisse illiusq; subditos tot cladi-*
*bus adfectos esse, vt nemo Christianus sine*
*lamentatione flebili tantorum malorum*
*meminisse queat. Quis enim, inquit Pos-*
*seuinus, adeò immanis est & barbarus, ô*
*nobilissime Princeps, quem tanta agrorum*
*vastitas, facultatum exitium, arcium dire-*
*ptiones, cædes & interitus hominum, euer-*
*sio templorum, & religionis non commoue-*
*ant? Non autem illi qui tantas calamita-*
*tes patiuntur, sed qui causſam primò de-*
*derunt, malorum omnium, quæ postea sunt*
*consecuta, æquum est, vt pœnam sustineant.*
*Optandum erat vt in vno Basilidis capite*
*tot cæsorum manibus vltionem dare posses.*
*Quod enim ad subditos illius attinet, nihil*
*mea sententia gerunt, quod valde vitupe-*
*randũ sit. Offensi dolent, lacessiti pugnant,*
*illatas iniurias acerrimè vlciscuntur, Prin-*
*cipis sui mandatis obtemperant. Quid ergo?*
*Si illos homines, qui in Plescouia sunt, ex-*
*stinxeris, continuò totum barbarorum ge-*
*nus interimes? non certè. & eos qui hæc au-*
*dituri sunt, multò vehementius irritabis.*
*Itaque dandum aliquid tempori censeo,*
*dandum*

dandum aliquid reipub. & paci communi. Pontifici quoque Maximo, qui pacem vobis suadet, suus honos est habendus: & quidem, vt summatim omnia dicam, iniquissima pax anteferenda est iustissimo bello. Dicentem Posseuinum rex ità audiebat, vt belli causſam omninò è medio tollendum esse arbitraretur, aliter enim hos ermorum tumultus nequaquam sopiri posse dicebat. Stabili enim decreto innixus, singulari perseuerantia omnes longissimæ militiæ difficultates non minore virtute sua, quam Moschorum inuidia, superabat & proposuerat emori potius, quàm abscedere irrito inceptо. Digresso iterum ad Basilidem Posseuino, maximus ille belli & pacis arbiter Deus ad decimum septimum Septembris diem res regis feliciter secundauit. Cum enim Dux Obolinscus cum lectissima equitum peditumq; manu vrbem irrumpere per flumen de nocte cogitaret, à custodijs quæ eam in rem & in flumine & in terra collocatæ erant, exceptus, cum copijs suis partim demersus in flumine, partim cum se in ripam coniecisset, occisus est. Nec multò post Chuostus cum quingentis equitibus auxilio

obsessis

obſeſſis venturus, eandem planè fortunam cum ſuis expertus eſt. Cumq; iam pro magnitudine rei & bellicorum caſuum varietate obſidio diutius duceretur, nec ſibi committendum eſſe rex iudicaret, vt & autumnali & primo hyberno tempore peſſimis tempeſtatibus longiſſima & iniquiſſima via, magno cum iumentorum interitu, & militum detrimento ſeſe in regnum referret, belli duces ingentem in hoſtico terrorem circumferre iuſſit. Inter hos Chriſtophorus Radiuilo, quem nunc Vilnenſem Palatinum conſpicimus, & Philo Cmita, & Spitco Iordanus, facile principes fuere. Et Radiuiloni quidem cura tuendorum finium demandata fuerat, eiq; lectiſſimorum equitum octo millia attributa, quibus ad propulſandos quorumuis hoſtium impetus vteretur. Sed excelſo ingenio alta atque ardua meditanti nequaquam ea prouincia placuit, pulchriorem potiundæ laudis occaſionem quærebat, glorioſius ratus in hoſtico repellere bellum, quam in finibus admittere. Tandem impetrata ab rege diſcedendi venia penitius quidem in hoſtis ditionem progreſſus, omnium animos cum felicita-

licitate rerum gestarum, tum vna maximè celeritate, qua vehementer vtebatur, incredibilem in modum conterruit. Eodē ferè tempore ad Orscham, ad Mohilouū & Schlouū ferro flammaq; Moschi grassabantur. Eo nuncio accepto Radiuilo lectissimis ornatissimorum equitum alis instructus, nullam moram agendis rebus facit, hostiq; obuiam progressus, multa fortiter, multa feliciter agit, ciuitates expugnat, agros vastat, inflammationem pagis, necem hominibus infert, prædas agit, & quasi tempestas quædam cuncta prosternit. Cum ad ingentem lacum Lucoium venisset, hostias cædit precatus ne se illæ terræ inuitum accipiant. Mox in districtum Smolencensem inuectus, eum nemine repugnante vastat. In tanta enim rerum omnium perturbatione, nec animus Moschis ad resistendum, nec ad honestè moriendū erat: & regij etiā quo maior erat hostium vis, eò magis videbantur ad contemnenda pericula confirmari. Delatus posteà inter infestas & irritatas gentes ad Procouum, incolis non repugnantibus, fiducia religionis diui Vitoldi à quo

conditum

conditum oppidum erat, parci iussit; lætus non militiam tantum, verumetiam vestigia se tanti Principis secutum. Obuios tandem habuit Nosdrouatum & Micaëlem Boratinscum, ex quibus hunc cum exercitu occidit, illum vulneribus deformem in fugam coniecit. Ea victoria potitus Rezouiensem ditionem ingressus est, eam autem, sicuti & omnem Moschouiam nobilissimus Volga fluuius pererrat, emensisq; Casanensium & Astracanorum terris aliarumq; Tattarorum desertis septuaginta ostijs in mare Caspium siue Hircanum influit. Radiuilo vado in flumine reperto omnem eam regionem infesta populatione peruagatus est, Ietzsouumq; celebre istis in locis oppidum vicit & incendit. In tanto autem arridentis fortunæ successu nobilissimam illam feram & hydram Iernæam, ipsum videlicet Basilidem capere poterat, nisi ille conspectis in propinquo ignibus, & fama aduentantis exercitus vehementissimè perculsus, per noctem tenebris terroribusq; importunam gemens & tremens ex Staricia cum Cadmæa sobole & ancillarum gregibus aufugisset. In eo tumultu Daniel Mursa à Basilide pro-

de profugus ad Radiuilonem venit, & vitæ quidem fortunarumq; omnium incolumitatem impetrauit, sed tamen fidei parùm sanctè cultæ infamia deflagrauit. Non poterat quietem capere Radiuilo, cumq; ad Resouiam ciuitatem delatus esset, ob tormentorũ maiorum defectũ rem ex animi sententia administrare non potuit. Igitur agris vbiq; vastatis ad Mosaiscum & Selisarouum prodigiosa celeritate contendit, & Selisarouum quidem incendio deleuit, Mosaisco pecuniam imperauit. Non procul à Selisarouuo fortunæ lectissimas ei Tattarorum copias obtulit: ijs tumultuario atq; inopinato congressu victis, multos præcipuæ nobilitatis viros cæpit, & supra quadringentos occidit. Post hæc velut in finem victoriæ ducatum Nouogrodensem inuadit, vetustissimumq; Russam oppidum aggreditur, præsidium deijcit, Micaelem Tureminum ibidem capit & in vincula conijcit. Cum ad Vlodomirios venisset, obuios cum muneribus multos istarum terrarum incolas habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in fidem recepit, alijs veniam dedit, præscriptis magistratui eorum pactis conditionibus. Ad extremum populatio-

nibus ad Vßycam & Porchouum, & in reditu ad Turopecium prolatis, cum Smolenſcenſes, Nouogrodios, Rezouienſes alioſq; populos maximis cladibus adfeciſſet, & per inacceſſos ſaltus itineraq; rerum omnium difficultatibus plena ad hoſtes penetraſſet, exactis in longinqua militia multis menſibus in patriam redire conſtituit. Excluſus enim anni tempore, quod pluuij brumales dies inciderant, cum grauiſſimi imperatorij muneris nomen gloria & fortitudine egregiè ſuſtinuiſſet, interiectis multis diebus in caſtra reuerſus eſt, triumphali laude inſignis, ubiq; non oculos modo, ſed omnium etiam ſtudia in ſe conuertit. Cæſa putantur in hac expeditione ſuprà decem hominum millia: Sicuti ea de re in peculiari quodam volumine ſeorſim plura aliquando annotauimus. Dum hæc à rege & ducibus in Moſchouia geruntur, à ſacratis quoque hominibus tumultus ingens in vrbe Vilna excitatur, quo rex variè adfectus, plus fortaſſis mœſtitiæ ex ciuili diſcordia, quàm gaudij ex hoſtium interitu percepit. Sacrorum autem Princeps nuper admodum ex Latio in patriam reuerſus erat. Is cum Pontificis Maximi

legato

*legato eam in curam incumbere cœpit, vt homines à catholica Romana ecclesia dissidentes è medio tollerentur, si emendari non vellent. Dicebat enim quod Sarmatia omnis publicè ac priuatim propter impiorum hominum hæresin magnis ac frequentibus incommodis fatigata atque oppressa, diutius libertatem tueri non posse videretur, & propterea eiecto seditioso dogmatis populo melius aliquando esset habitura. Igitur Cinglianorum Russorumque ac Lutheranorum libri, tamquam in religione pestilentes, ac rerum futurarum certissimi indices, præsulis iussu in clarissima meridiei luce comburuntur, &, vt Poëta ille dixit, emendaturis ignibus dantur, cum interea Iesuitarum discipuli carmen in laudes cœlestium Deorum ad ipsos chartarum rogos decantarent. Trepidabant tunc in vrbe diuersæ religionis ciues, & sacratorum conatibus omninò obuiam eundum esse existimabant, ne forte seditione ex conspiratione facta in absentia optimi regis opprimerentur. Nam & defunctorum corporibus tunc requies data non fuit. Cingliani enim cum via regia mortuos*

*ad ſepulturam efferrent, quidam Sacrato-*
*rum ſatellites ità in eos irruerunt, vt vix*
*agrè aliorum interuentu impetus redarda-*
*tus ſit. Quæ quidem res vti repentina &*
*nequaquam exſpectata, ſicuti terrorem*
*omnibus incuſſit: ità ſummos & infimos*
*atque adeò ipſos etiam ſacerdotes ad arma*
*excitauit: ab enſibus tamen temperatum,*
*donec vltima neceſſitas defenſionem ſuade-*
*ret. Noctu etiam ſilentibus cunctis, terri-*
*bili & inſolito tympanorum ſigno animi ci-*
*uium turbabantur, cum econtrà homines ſa-*
*crati dicerent, eo ſonitu excitari omnes, vt*
*nocturnis quoque temporibus pro regis ſalu-*
*te orare diſcerent: quamquam id genus pre-*
*cum non paucos in ſuſpicionem rerum nouа-*
*rum pertrahere videbatur. Interim Ger-*
*mani & Cingliani per idoneos homines ſuo-*
*rum ſacerdotum domos diligenter cuſtodie-*
*bant, Cinglianiq; præſertim adeò impigrè*
*defenſionem parabant, vt maiora etiam tor-*
*menta ad ædes precum conueherent, contur-*
*batisq; illa alacritate aduerſarijs omnem*
*eis conſilij & authoritatis rationem eripe-*
*rent. Poſteà Abramouicium nobilem &*
*valde ſtrenuum virum ex agro in vrbem*
*reuocant,*

*renocant, & istis Sacratorum conatibus vt resistere velit, magnoperè orant. Is nauanda opera, religionisq; sinceriores studiosus, arcem vrbemq; ipsam munitionibus præsidijsq; præsepsit singulariq; celeritate atque peritia habitantes vicinis in agris nobiles accersens, catholicorum animos veris illatis terroribus deiecit, tantaq; virtute & perseuerantia inter ipsos ciues, omnesq; sacratorum hominum ordines omnia administrauit, vt nemo omniũ relinqueretur, qui non insignem aliquem metum ab eo vel militari eius adparatu accepisset. Quibus de causis Germani cæteraq; nationes in religione dissidentes internuncium summa celeritate in castra ad magnates Lithuanorum misere, rogantes vt subsidia suis in religione laborantibus mittere maturarent. Rex verò simulac execrabilem illum, & Lithuaniæ funestum tumultum cognouit, indeq; Sarmatiam omnem subito arsuram bello non sine fœda rerum omnium confusione præuidit, principijs obstandum ratus inter dissidentes induciarum pacisq; medium sese obtulit, præsulemq; ipsum epistola humanissimè scripta mitigauit. Ad vrbis quoque Se-*

natum litteras dedit, quibus omnes quid patriæ expediret, quantum esset in seditione mali, quomodo discordia res maximæ dilaberentur, sedulò, paternè, & diligenter docebat. Episcopus cognita regis voluntate & lectis litteris, vt tempori seruiret à proposito desistere constituit. Nam & offensionem dissimulabat, & ipse etiam plures corporis sui custodes oblato stipendio conducebat. Ciues deinde & subditi depositâ in præsens omni acerbitate cum sinceram quietem recepissent, nihil se vmquam expertos iucundius atque pulchrius ea libertate prædicabant.

Suprà diximus quomodo rex singulari perseuerantia Plescouiæ obsidionem continuarit, eam demum insignem esse victoriam ratus, quæ præsentis imperatoris fortitudine & manu pararetur. Illo absente Gothorum exercitus per Liuoniam res nouas moliri cœpit. Nam Pondus Legatus Gothicæ militiæ præfectus & vetus Moschorum hostis ad eas Polonorum victorias ità vehementer exhorruit, quum vir strenuus & acutus tam pridem Polonorum fortunam & gentis opes agnouisset, vt Andrea Lurco,

Georgio

*Georgio Planco & Ioachimo Schelio ducibus militem Germanum in Liuoniam induxerit, & de inuadendis alia parte Moschi omnem cogitationem susceperit. Cumq; per se militaris gloriæ decus expeteret, & alioqui à Polonis contemptum se crederet, cum ad Plescouiam nequaquam, vti sperauerat, euocaretur, facile adductus est vt ad præsentem rerum statum adapertis sensibus consilia omnia conuerteret, ea fortassis spe, vt se quoque (si fortuna tantis cœptis arrideret) aliquam Liuoniæ partem nemine repugnante consequuturum arbitraretur. Itaque nihil intermittendum ratus, quod in negotio semel suscepto oportunum foret, vocatis in concionem centurionibus atq; signiferis, cæterisq; ducibus animi promptitudine militiaq; peritia claris: Quid cunctamur, inquit, commilitones in hac parum decora deliberatione? quasi Moschos toties à Gothis victos, si in eos armis erumpamus, minimè simus è Liuonia exacturi? Perrumpemus herclè & cuncta obuia sternemus, dum ambigunt & consultant, an nobis sit occurrendum, vel manendum in oppidis & arcibus, quæ*

vt in magno metu, magnoq; temporis spacio maximè munierint, præstabo me huius periculi facile principem, ne consilium à verbis & audacia potius quàm à virtute sumptum putetis. Et meo certè ductu victoriam nobilem atq; opulentam referetis. Nec mora centuriones fermè omnes feruidis & alacribus ingenijs sublata manu Ponto fauent, plerig; etiam eò ardentius, quo veteris virtutis excellentiam aliquo fideli illustriq; facinore demonstrare cupiebant. Narua fluminis superius mentionem fecimus, illud ex lacu maximo Cudzcone ortum, venientiaq; ex meridie Plescouiã & Velicaricam fl. haurtens tandem mare Liuonicum influit. Ad huius fluminis ripas Russi antiquitus oppidum habuere, quod elegantius & speciosius instauratum Ioannes Basilides de suo nomine Iuanogrodum appellauit, & est, alioqui eiusdem nominis arx & oppidum aliud quod tribus à Narua milliaribus distat.

Quoniam autem Narua. fl. semper Liuoniæ terminus fuit, Crucigeri quoque in parte altera ripæ oppidum & arcem munitissimam condiderunt. Sed Basilides explo-

ratem

ratam à Liuonibus victoriam relaturus, cum inconditam barbarorum armatorumq; agrestium multitudinem prouinciam induxisset, & veluti tempestas quædam obuia cuncta prosterneret, aliquantò latius imperium suum proferre cœpit, excitatoq; per emissarios suos furtiuo incendio, repentina eruptione Naruam aggressus est, egitq; cum Germanis qui in præsidio erant, vt cautionem de salute & fortunis accipientes in patriam suam proficiscerentur, quod & illi libenter fecerunt. Intelligebant enim non insani acutiq; homines, sibi cum validissimis hostibus esse dimicandum, neq; vllam omnino misericordiæ spem ab iratis barbaris sibi superesse, si aliquo insigni accepto incommodo vincerentur. Ab eo tempore incredibilis negociantium multitudo ex Lubeco aliisq; locis in vtroq; oppido fuit. Nam & totius ferè Moschouiæ ciues hîc merces suas deponere consueuerant, vt tantò commodius per Oceanum Germanicum in omnem Europam longè lateq; deportarentur. Sed Pontus cum exercitu maximis tormentis rebusq; omnibus longè instructissimo ex Reualia ad

hostes profectus, Narnamq; subiectam oculis è colle militibus ostendens vbi ex præda multo opulentiore quã opinione auiditateq; ipsorum concepissent perpetuò ditarentur, edixit vt corpora itineris labore fessa paululum curarent, solitaq; alacritate victoriam animo conciperent. Sequenti die cum Luna oriens certis ictibus lucem adferret, de prima statim vigilia triplici agmine à tribus locis vno simul tempore Narnam, quæ Germanorum antea fuerat, adortus est, prolatoq; terribili tormentorum adparatu diebus viginti octo integris adeò vehementer mœnia conquassauit, vt latè prostratis adapertisq; vallis & mœnibus Gothicæ legiones in statione conspicerentur. Quippe nec aggeres densissimi, nec acerrimus propugnantium ardor, nec munitiones fortissimæ eam tormentorum muralium vim sustinere quibant. Moschi tamen adduci non poterant, vt hosti per ruinas in ipsam vrbem irruenti sese dederent, tantaq; barbaris & superbis eorum ingenijs innata erat de Gothorum gente contemptio, vt vltrò etiam prouocarent irriderentq; hostes, quod tantum inanis operæ frustra susce-

pisse

*ſcepiſſent, vt aditus in vrbem pararetur, quando adpertis etiã portis ad repellendum hoſtem animus ipſis ſuppeteret. Perfidioſam hanc leuitatem deridebant Gothi, & ne exploratam à peruicaciſſima gente victoriam in diſcrimen adducerent, nihil ſe vel in hanc, vel in illam partem à propoſito viuendi commouebant, circumuentamq; in media ciuitate Moſchicam plebem tanta ſeuitia immanitateq; trucidabant, vt imbelles homines proiectis ad terram armis, ſuppliciter vitam deprecantes crudeliſſimè cæderentur. Numquam enim ab vlla memoria vel in barbaros qui Mahometis ſectam colerent, vel in perpetuos hoſtes atq; inimicos, vindictæ libidine atrocius ſeuitum eſt. Nemini fuga patuit, quum & ſubitus Gothorum incurſus, & fœda rerum omnium facies, & conturbata omnibus in locis ciuitas, omnem vel conſtantis animi vim, vel ferendæ opis ſpacium inter diſſones morientium clamores eriperent. Gothi cæſis late ciuibus, & præſidio vndiq; pulſo, oppido & arce puncto temporis potiuntur. Compertum poſtea ex multitudine ſtratorum corporum fuit, ſuprà ſex hominum millia*

*cæcidiſſe.*

cæ̃disse, & in his militiæ duces gloria & virtute insignes fuisse. Sed nec apud Gothos victoria luctu caruit; Ipsorum enim castra maximum à tormentis Moschicis acceperant detrimentum. Ea nunciata & spectata clades, Moschos in altera ripa habitantes, quamquam animo infractos, magnopere conterruit. Cum enim editas omnibus in locis ad satietatem cædes, nobilissimos senes pariter ac iuuenes tormentis excruciatos, violatum vbiq; matronarum ac viginũ decus summorum pariter & infimorum ciuium domos, tanta furentium rabie ferro atque ignibus expugnatas è vicino vidissent audiuissentq;, dolore perturbati, clamores ingentes cum eiulatu miserabili sustulerunt, statimq; de vrbe deserenda cogitantes nocte illa per diuersas portas effugerunt. Qui remanserant antequam diluceseceret Ponto clauem vrbis arcisq; obuiam miserunt, vitamq; & optatam auehendæ supellectilis veniam ea tantum ratione impetrarunt. Rebus deinde compositis signa regis Ioannis in manibus constituta sunt, & ipse Pontus in vtramq; ciuitatem est ingressus. Moschorum templa expiata continuò, & ritu so-

*tu ſolenni conſecrata ſunt. Milites ad prædam conuerſi præter ceram, frumentum & linum nihil aliud, quod eſſet magnoperè admirandum, inuenerunt. Ad hunc modum vtrumq́ oppidum Gothici iuris factum eſt, & portus maris opportuniſſimus in poteſtatem redactus. Ad alias deinde in vicino hoſtium munitiones Pontus impetum conuertit, Veiſſenſteinumq́ & Coporum & Iuanogrodum deiecto feliciter præſidio cæpit.*

*Ad auditam verò Gothorum victoriam Stephanum regem grauiter commotum ferunt, quod indigniſſimè ferret, eam Liuoniæ partem, quam Moſchus iam retinere non potuiſſet, & pro qua longè maximo ſumptu & adparatu bellum illud ſuſcepiſſet, ſibi abſenti & in hoſtico rem gerenti contrà ius arctiſſimæ adfinitatis ereptam eſſe. Porro Moſchorum gens tantis periculis & calamitatibus vexata, cum cædium, feritatis, atque ſæuitiæ nullum inueniri poſſe finem arbitraretur, cumq́ vniuerſi ſenum captiuitatem, filiorum mortes, virginum & matronarum ſtupra, oppidorum religionisq́ et libertatis excidium, apud ani-*

*mos*

mos suos reputarent, à mente consilioq; deturbati tumultuari cœpere, & Principis suæ cunctationem admirari. Sed tyrannidis metus, & insita in hominibus leuitas & inconstantia faciebant, vt cum neq; fidem sanctè colerent, nullus eorum fidem socijs adiungeret: & cum ex suo ingenio quisq; alios fingeret, reliquos suspectos haberet, & perpetuo etiam timeret, ne tamquam coniurationis alicuius author ad Principem deferretur. Coiere tandem Vlodomirij cum vicinis quibusdam populis, & se ad propulsandum commune malum paratos Basilidi obtulerunt; contestatiq; primum sibi fide & obedientia erga Principem nihil esse antiquius, defensionem petiere. Multis, inquiunt, mensibus, & totum triennium patriæ calamitatem sedentes intuemur, religionem interea & libertatem nostram pessundat hostis; captiuitate senes, cædibus iuuentus, stupris filiæ nostræ fœdantur: vastitas agris, excidium ciuitatibus adfertur, et nos à pristina virtute tantum degenerauimus, vt præclarius esse putemus hosti terga obuertere, quam ciues à clade incolumes præstare, & pro patria honestè mori. Sciunt aduersarij gentem ignauam facile superari posse, ideoq;

ideoq; confidentius miseria & infortunio nostro insultant: Si vero coniunctis viribus obuiam illis progressi fuerimus, hominum audaciss imorum insolentiam haud difficulter contundemus, patriamq; ab aeterno periculo vindicabimus: idq; vt alacriter faciamus templa, ara, religio suadent, patria postulat, liberi & libertas hortantur. Quando autem dux & author nobis ad hanc rem opus est, rogamus te serenissime Princeps & Domine noster, vt filium tuum natu maiorem nobiscum in honestissimam militiã mittas. Illo quippe in oculis nostris versante veterem bellicae virtutis opinionem facile recuperabimus, & pro patria vitam sanguinemq; effundemus. Basilides non tantũ maximi regis exsistimationem, sed et diuinitatis opinionem apud suos habebat, rumoremq; in Moschouia spargi iusserat, se Deorum monitu ab istis Polonici belli tumultibus retractum feriari. Igitur cum a ciuibus defensionem postulantibus quasi neglecti officij accusaretur, fremere statim capit, sibi insidias fieri & dolos strui, & proditionem parari adfirmans, & sane ita fieri solet, vt quoties aliquis bellum sui Principis iniussu suscipit, offensio sit pestifera, &

& victoria inuidiæ plena: & qui tale aliquid molitur, calumnijs plerumque innumerabilibus obnoxius est.

Posteà Basilides in publicum etiam sine satellitibus processit, proiectoq; in vulgus diademate ac purpura, dare eos hæc alteri iussit, qui aut imperare illis sciret, aut cui parere ipsi scirent. Comemorat deinde beneficia sua, vt Liuoniam subegerit, vt Turcas Tattarosq; compescuerit, vt denique dignitatem gentis suæ non solum defenderit, verumetiam auxerit. Quorum si illos pœniteat, deponere imperium, & tradere illis regnum suum, quia Principem quærant cui imperent. Quum populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet, tandiu recusauit, donec seditionis authores supplicio traderentur. Post hæc ad filium conuersus ait, aususne es nefandissimum caput, ista mente, & animo praditus in conspectū patris venire? & odia ac seditionē velut exsultabundus excitare? vsq; adeóne omnis pietatis oblitus es? nulla pugnandi occasio aptior quàm calamitas patris, & belli infelicis ærumnæ fuerunt? quid quod populi suffragio Dux vocatus, non dico patrem, du-

cem

cem certè ciuium tuorum dignitate priuare conatus es? & quid porrò tu in facto isto, conspirationeq; aliud quàm interitum meum quaeris? Quoniam igitur tu in patre Principem Moschorum non agnoscis, ego quoque Principem me magis quàm patrem indicabo, statuamq; in te exemplum ne quis posthac infelicibus miserijs parentum illudat. Ad eam obiurgationem Iuanus vehementissimè consternatus, cum deiectis ad terram oculis defensionem pararet, & supplex locum ad dicendum causam sibi dari postularet, in ipso orationis exordio Basilides adolescenti conturbato tacendi signum dare volens Scipione ferrato eius tempora percussit. Ille cum plagam præ consternatione & metu nondum sentiret, nequaquam vulneratum se credidit, & mox inter eundum toto corpore cruore madens in conspectu patris exanimis in terram collapsus est. Ibi pater confossum vulnere filium, sed spirantem adhuc animaduertens, statim ex furore in pœnitentiam versus, manus in cœlum tendit, querelasq; flebiles edit, nunc adfatur, nunc osculatur,

*nunc ſolatur iacentem, nunc ſortem ſuam, nunc publicam fortunam deflet, nunc Deos accuſat, qui iuuenem tam charum in hoc malum coniecerint. Filius audito patris clamore, id ſaltem præſentis fortunæ ſolatium ſe habere dixit, quod nequaquam poſtremas voces in caſſum emiſſurus eſſet. Sibi quidem abeo ſanguinem & vitam ereptam eſſe à quo vitam ſanguinemq; acceperit, ſed ſcire DEVM, quod nullius conſpirationis fuerit author: optare ſe, vt patri terrarum omnium contingat imperium, vtq; felicius in hoſtes quam in filios ferrum ſtringat. Iam ſe iuſtam magis quam grauem ſepulturæ veniam orare. Inter hæc ingens in populo ſtrepitus, magna trepidatio, magis omnes Principis calamitatem, quam ſuam miſeriam lugebant. Ipſe Baſilides quaſi mente commotus humi tantum conſedit, non cibum non potum popoſcit, non denique ſeruilem ſorditamq; togam depoſuit, & acclinis parieti, cum lethalem in ore filij pallorem conſpexiſſet, dies noctesq; orbitatem ſuam & miſerabilem filij caſum defleuit,*

*uit, quì tandem quinta post acceptum vulnus die, inter tristissimos animi corporisq; dolores exspirauit. Eum solenni & regio funere elatum quum populus nequaquam adulanter luxisset, pater ipse, qui in suprema vsque vitæ momenta ergâ morientem omnibus tenerioris amicitiæ & pietatis officijs erat perfunctus, ita desiderauit, vt cum lachrymas tardissimè deposuisset, si forte eius elegantissimi iuuenis memoria induceretur, vel latiore in sermone veterem tristitiam & lachrymas ad oculos reuocaret. Exsuuias in templo Micaëlis regio more sepeliri, & maiorum tumulis inferri iussit. Cumq; illud facinus DEVM assiduis cladibus gentis, & interitu totius populi, vindicaturum opinaretur, suprà septuaginta septem aureorum nummûm millia in Græciam ad Patriarchas Constantinopolitanum & Alexandrinum, Monachosq; sepulchrum Domini Iesu custodientes transmisit, vt illi precibus & sacrificijs animam defuncti expiarent, ab infernalibusque pœnis eam eriperent. Litteras deinde ad Stephanum regem fecit,*

quibus legatis ſuis eleemoſynam ad Græcos deportantibus ſecurum per Poloniæ fines abitum impetrabat, quas Paullus Oderbornius, qui hæc conſcripſit, à regio Secretario acceptas recitari etiam audiuit. Omninò autem conſtat cum domi hanc à fortuna plagam accepiſſet, cum ſuorum captiuitatem, hominum & vrbium excidia, fuſas fugatasq; copias ſuas, arcium præfectos occiſos, maximam commeatus & adparatus bellici vim interceptam vidiſſet, non importunum optatæ pacis conſilia circumſpexiſſe, quando nequaquam priſtinæ felicitatis more tàm bono proſperoq; rerum ſucceſſu vteretur, futurumq; diuinaret, vt capta Pleſcouia omnium grauiſsimam in regno ſuo tempeſtatem pateretur. Venerat ad eum ex regijs caſtris Poſſeuinus, qui pacificatoris partes inter Principes ſuſtinebat. Ille in conſilium admiſſus de ſummis belli difficultatibus & componenda pace diſſerere cœpit: Summæ ſtoliditatis eſſe dicens, Liuoniam vltrà defendere conari, quam nec recentibus quidem receptis auxilijs egregia ſpe tueri poſſet, quando iam cuncti ferè Liuo-

nes

nes contrucidati patriaq; pulsi interyssent: non esse funesta audacia cum fortuna diutius contendendum, quando Moschi qui in prouincia essent, satis superq; diuitiarum & emolumenti ex ea acceperint. Iam cœdendum esse Polonis, amissæ posteà Prouiuincia dedecus ad ipsam fortunam pertinere, quæ res mortalium vario euentu augere & minuere consueuerit. Proinde sumendum esse consilium à prudentia quam necessitas exprimeret, non ab inani animorum obstinatione, qua nihil ijs qui in extremo discrimine versarentur, lethalius accidere posset. Sibi ergô tàm honestum, quàm omnibus ad salutem necessarium videri, dedere Polonorum Principi Liuoniam, eiusq; qui pro gloria certare existimari vellet, fidem experiri. nec enim fortibus viris opportunum in patria locum esse defuturum, vbi meliore fato militiæ signa defigerent, & acceptas nuperrimè à Tattaris iniurias, egregio libertatis studio, & commodiore tempore vlciscerentur. Ita Basilides flagrantissimis Posseuini concionibus incitatus, & extrema etiam necessitate compulsus in consili-

ans tractandæ pacis præclarum maximè ſtudium oſtentabat, Stephanumq; regem litteris amiciſſimè ſcriptis hortabatur, vt ad auertendam ſanguinis Chriſtiani profuſionem honeſtæ concordiæ conditiones amplecti vellet. Nam adhuc quidem rapinæ, cædes, incendia, terrorem paſſim incutiebant, & vulgus militum vt cum elementis etiam & rerum natura pugnaret, in medijs & denſiſſimis niuibus caſos paſſim erexerat. Rex quoq; & Proceres ex Auguſtalibus egreſſi ligneas domos incolebant, & in hoſtico ita verſabantur, vt neſcio quomodo in media Polonia aut Lithuania ſecurius habitare potuiſſent, habentes ſcilicet in ipſis caſtris imaginem quandam larium ac domeſticæ ſedis. Nominata tandem eſt Zapolſcia, quo in loco de compoſitione pacis perſitatis & examinatis vtrinq; conditionibus tabulæ ſcriberentur. Nam nec ipſi regi reportandæ victoriæ cupido, & per ſe impigro bellatori, animus conſiliumq; amplectendæ concordiæ deerat. Diſtat Zopolſcia viginti quatuor à Pleſcouia milliaribus, ea via qua Magni Ducis inſtituto veredi Nouogro-

dia-

dia Zauolociam & Velicolucum disponuntur, cuius circum vicinam regionem omnem miles regius infesta populatione percurrerat. A rege profecti sunt viri principes & maximè nobiles Stephanus Sbarasius, Palatinus Bratislauiensis, Albertus Radiuilo Dux Olycæ & Nisuesij, Mag. Duc. Lithuaniæ Marscallus, & Micaël Haraburdus. Illi cum ornatissimo equitum trecentorum comitatu Zapolsciam delati Moschos exspectauerunt. Hi namq; nostrorum armis & populationibus territi, cum vix tandem vanis suspicionis & timoris offendiculis animū liberassent, aliquando tardiùs aduenere. Fuerunt illi Basilius Ielecius, Iuanus Bassenco & Zacharcas quidam Basilidi à secretis. Rex dimissis legatis, eisq; agendi cum hoste potestate data eodem die, qui Andreæ fuit, iter Lithuaniam versus suscepit, curam gerendi interim & administrandi belli Ioanni Zamoscio commendata. Adfuit legatis Principum Possevinus, qui spe & cupiditate constituendæ pacis totus exarserat. Is ab imploratione opis diuinæ exorsus disertissima concione circumstantes monuit, vt

*in id consilium suscipiendæ pacis præclarum maximè studium ostentare, & in vnum voluntate ac sensibus coniungi vellent. Quemadmodum inquit, corpora cœlestia, si vel paullulum tumultuentur, aut recto cursu diuarient, non sine graui rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod palàm videmus in defectibus Solis ac Lunæ. Ita summi Principes, si quid aberrent ab aureæ pacis tramite, aut si quod bellum opum & regionum alienarum cupiditate suscipiant, id protinùs ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim vlla vmquam eclipsis sic adfligere potest hominum genus, vt diuturnum aliquod inter Principes vicinos bellum, quale nunc totum triennium hæ gentes viderunt & defleuerunt, quod tantum malorum omnium agmen secum traxit, in quo tantum Christiani sanguinis fusum est, in quo tot periculis obiecta iuuentus fuit, tot orphani, tot viduæ, tot orbi senes, tot mendici, tot infelices sunt redditi. Expendite cum animis vestris quantum interfit inter hominem paci ac beneuolentiæ natum animal, & inter feras & belluas prædationi belloq; natas:*

tas: adhac quantum interſit inter homi
rem, & hominem Chriſtianum; Contem-
plamini, quam expetenda, quàm honeſta quã
ſalutifera res ſit pax. E diuerſo, quam cala-
mitoſa ſimul & ſcelerata res bellum, etiam-
ſi iuſtiſſimum ſit, ſi quod omninò bellum
iuſtum vocari poteſt. Expendite curas,
ſumptus, pericula, moleſtum ac longum ad-
paratum, ſepoſitiſq; adfectibus, vel tanti-
ſper rationem in conſilium adhibete, dum
verè ſupputarit, num id quod hoc bello peti-
tur, tanti ſit, etiamſi certa ſit victoria,
quanti hactenus conſtitit hoc bellum. Nunc
igitur quando ſatis iam ſuperq; fuſum eſt
humani ſanguinis, ſatis in mutua debacchas
tum exitia, ſatis furijs orcoq; litatum, ſatis
diu quæ malorum geniorum paſcat oculos,
acta eſt fabula: poſt nimium diu toleratas
belli miſerias reſipiſcite.

Quidquid hactenus inſanitum eſt, fa-
tis imputetur: Placeat Chriſtianis quæ
quondam profanis placuit, ſuperiorum iniu-
riarum obliuio: Poſt hac communibus conſi-
lijs in pacis ſtudium incumbite, et ſic incum-
bite, vt non ſtupeis, ſed ſodalis atque ada-

mantinus vinculis coëat, numquam dirumpenda. Iungat aeterna concordia, quos tàm multis rebus iunxit natura. Communibus studijs agant omnes, quod ad omnium ex aquo felicitatem pertinet. Huc inuitat ipse naturæ sensus, huc ipsa humanitas inuitat. Huc totius humanæ felicitatis author CHRISTVS vocat, huc pacis commoda, huc belli calamitates vocant. Vocat huc Maximus ille Pontifex, in specula pastoralis vigiliæ constitutus, & Christi vicarium in terris gerens. Si verò oues estis, sequiminè Pastorem: Si filij, morem gerite patri. Videtis hactenus nihil actum tumultibus, nihil promotum armis, nihil vi, nihil vlciscendo. Nunc contrà periculum facite, quid possit placabilitas, quid concordia. Nunc gratia gratiam pariat, & beneficium beneficio inuitetur, isq; regalior & splendidior habeatur, qui plus de suo iure concesserit. Ea admonitione Posseuinus magnam amplectendæ pacis cupiditatem omnibus iniecit; plerique enim belli tadio adfecti erant, nonnulli etiam liberius postulabant, vt actionis atq; amicæ compositionis statim initium fieret,

*fieret, quod prorſus indignum eſſet eam Pontificij legati orationem contemni, priuatoſq; quorundam adfectus publicæ vtilitati anteferri. Cum ad rem ventum eſſet, Moſchi omnia ea quæ in diſputationem veniebant, diligentiſſimè verſare animo & cogitatione circumſpicere erant ſoliti. Ipſi etiam regij Legati propter dolos & inſitam barbaris leuitatem & inconſtantiam non multum illis credebant. Memoriæ enim proditum erat Ioannem Baſilidis auum ſub Caſimiro magnam Nouogrodiam contrà ius fœderis occupaſſe. Huius verò filium ſub Alexandro Starodubam, ſub Sigiſmũdo Smolenſcum expugnauiſſe. Deniq; Baſilidem auitarum fraudum hæredem Auguſto Polociam, Henrico Pernauiam haud diſſimili perfidia eripuiſſe. Quibus veſtigijs territi fidem Moſchorum valde ſuſpectam habebant, idq; eo amplius etiam quod eorum tergiuerſationem de tradenda Liuonia cum inſigni tædio & indignatione tolorare cogebantur. Baſilides enim, ſicuti primo congreſſu legati oſtenderant, præcipuam Prouinciæ partem cum Mariaburgo retinere*

*cupie-*

cupiebat. Itaq; cum hæc expensa & deliberata initis rationibus explicarentur, legatiq; diuersis inter se studijs in partes scinderentur; Tandem Possewini ardentissimo studio incitati, & humani sanguinis profusionem cauere cupientes, pacem componere statuerunt; & statim Moschi de reddenda regi Liuonia potestatem sibi traditam dixere; ita tamen vt & rex arces quasdam hoc bello captas se illis redditurum promitteret. Ad eum modum cum singula accuratis rationibus explicata essent, conscriptæ sunt pacis tabulæ, & Pontificia authoritate confirmatæ. Vt scilicet rex tempestiuè exercitum ab vrbe Plescouia deduceret, serioq; incendia & populationes agrorum prohiberet; arces item omnes & oppida superiori anno capta, Moschis redderet, id si benignè feciisset, Moschi econtrà totam Liuoniam, & omnes in ea possessiones se reddituros pollicebantur, nec Velisium, Vsuiathum, & oppida alia ad Polociam pertinentia repetebant. Appositum etiam diserte in conditionibus erat, vt Moschis supellectilem omnem sine impedimento ex Prouincia auehere liceret.

Occu-

*Occupauerat interea sicut antea memorauimus, Gothorum exercitus vtramq; Narnam, ea de iniuria cum & Moschi quererentur, & nescirent etiam quam verè oppidorum istorum possessionem tradere regi possent, Legati illis quiescere iussis, regem ea de re nihil obstante hac pacificatione cum Gothis transacturum dicebant. Ad postremum cum ventum esset ad illos quos mitior fortuna captiuos Principibus prabuisset, iudicatum fuit, eos interposita pactione nummorum in libertatem vindicari posse. Tempus deinde quo in pacis conditiones iuramentum daretur, communibus suffragijs est designatum, ita vt Poloniæ rex ad decimum Iunij diem in Moschouia: Basilides verò XVIII. Calend. Septembr. in Polonia per legatos iuraret. Tabulæ pacis cum ab ipso Possevino confirmandæ essent, res tali pompa peracta est. In oppido Zapolsciæ Passaryssio vilem ille domum incolebat, quam contrà intractabiles frigidissimi cœli tempestates exstruxerat. Huc vocatis ad se legatis statim ex materia scutulata & serico pretiosissimo altare condidit, cumq; religiosè & Romano ritu sa-*

tu ſacrum feciſſet, tabulas iſtas aris admouit. Adfuere ſtatim cum ſuo Flamine Moſchi, crucemq; patrio more reuerenter oſculati ſunt, & palàm profeſſi ſe iſtas principis ſui nomine conditiones ratas & firmas habere. Illis remotis, Poſſeuinus ſignum itidem Chriſti in crucem ſublati, quod Roma aduexerat, regijs venerandum præbuit, & tamquam præſens Pontifex iſtam optatæ pacis actionem, ictumq; fœdus & decennales inducias in nomine trini numinis ratas eſſe iußit. Atque ita poſt tertium annum grauiſſimo bello finis eſt impoſitus, tanta cum lætitia Baſilidis, vt magno metu magnoq; periculo liberatus, nihil iam publicis & domeſticis calamitatibus (quas longè maximas perpeſſus erat) omninò commoueretur. Acta hæc fuere ad decimum quintum Ianuarij diem anno à partu virginis Mille. Quingenteſimo octogeſimo ſecundo. Legatis in caſtra reuerſis de facta pace ſtatim rumor emanauit, qui non apud multitudinem ſolum, verum & apud eos, qui Principes habebantur, lætitiam ingentem excitare viſus eſt. Gaudebant enim vniuerſi, quod

quod longè maximi Principes, qui odijs acerbissimis irritati in mutuam perniciem ruebant, intestinisq; & ciuilibus bellis hostium & immanium barbarorum vires amplificabant, depositæ in præsens omni acerbitate & armorum strepitu optatissimum aureæ pacis nomen felicemq; concordiam amplexi essent. Zamoscius regis exercitum imperio continebat, is cum ornatissimis equitum alis obuiam legatis progressus sermone perjucundo & humano eos excepit. Postea misso ad vrbis præfectũ caduceatore, de pace composita eum fecit certiorem. Ille quàm gratus sibi nuncius esset multis signis ostendit. Cum verò rogaretur vt ad epulas in castra regis descendere, & cum Principibus Polonici exercitus amicitiam inire vellet, caussas, quibus adductus id facere non posset, grauissimas ostendit. Misit tamen ex præcipua nobilitate viros, qui officij caussa conuiuio iuxta regiam magnificentiam instructo adessent. Illos Zamoscius in tabernaculo pulcherrimis tapetibus & aurea veste instrato excepit. Cumque iucundissimo sermone tempus aliquod

cum

cum illis insumpsisset, mensam instrui, & ingentem epularum adparatum fieri iussit. Conuiuium fuit à diei principio ad multam noctem perductum, multisq; dapibus & maxima viri copia, & cantibus & Symphonia celebratum, omnes etiam, qui fuerant inuitati, muneribus largè atq; munificè donati in vrbem reuersi sunt. Nec multò post Zamoscius obsidionem soluit, exercitumq; per per multas itinerum difficultates incolumem in Lithuaniam reduxit, cui deinde rex & respub. gratias egere. Festos etiam dies per omnem Sarmatiam populus egit, supplicationes instituit, & Deo Opt. Max. grates persoluit, quod optata breuitate bellum finitum, & exercitus esset reductus. Basilides autem tantis calamitatum vulneribus adflictus, gesto infeliciter bello, & amissa veteri virtutis opinione, cum exercitu, tormentis, commeatu, arcibusq; & castris passim exutus esset, cum domi filio orbatus suorum etiam captiuitatem excidium & mortes vidisset, cum sollicitis & acerbissimis cogitationibus vexatus à ciuibus tacitè contemneretur, & ab hostibus irrideretur, morbo

morbo ex ægritudine animi contracto de-
ceſſit, anno poſt finitum bellum ſecundo.
Exercuerat paucis ante diebus immanem
aduerſus ſuos crudelitatem, regionemq; o-
mnem ciuium cæde, & lamentabili quiritatu innoxiorum repleuerat, nulla nec humani ſanguinis, nec ſexus, nec ætatis miſericordia permotus. Nam & duo millia & trecentos, qui Polociæ & in alijs arcibus deditionem fecerant, in numerum proſcriptorũ retulerat, aut conſumpturus eos, aut in vltimã barbariem relegaturus. Hos compoſita pace euocatos, cum abiectis armis humi corpora proſtrauiſſent, protinus interficiendos, aut in fœdiſſimos carceres abijciendos curauit. Nec illos tantum, qui in armis ignauiores fuerant, occidit, ſed etiam quieti animi ciues damnatorum numero adiecit, atque ita veluti purificato regno, ſe ſuauius aliquantò victurum opinatus eſt. Captiuos quoq; quos ex omnibus ferè nationibus innumeros habebat, vt crebris mortibus barbaram feritatem ſatiaret, vltimo ſupplicio adficere decreuerat. Et ego certè adfirmauerim facile, optimum & benigniſſimum Deum, creberrimis illorum hominum ſupplicationibus,

contrà quos tyrannus ferrum acuebat, venena temperabat, laqueos apprehendebat, nouos cruciatus circumspiciebat fatigatum, vltimum ei fatum immisisse. Cum alioqui ea firmitate corporis & membrorum robore ad perferendam quamlibet vel etiam continui morbi contumeliã in multos dies omninô paratus videretur. Sed vi numinis ea infirmitas ità demum vehementer incubuit, vt desperatus medicinæ remedijs, mente commotus, miserabilem prorsus vitam duceret; Multis diebus nõ alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ità vt mutus factus videretur. Post multos deinde dies vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud quam filium Iuanum vocabat. Iuanus illi videri, Iuanus audiri videbatur, cum illo loqui, cum illo consistere, interdum quasi viuum flebiliter accersebat. Post longum deinde luctum resumptis parumper viribus Artnam Vdudouiam, honestæ pulchritudinis fœminam, & filij vxorem sui, officij caussa in aulam venientem ad stupri consuetudinum perpellere voluit, nec aliter illa quàm dum clamat seruata est. Easpe frustratus cum infestos sibi nonnullos

los propter id scelus videret, ne esset, qui rem in vulgus efferre posset, homines sex nobiles interfici iubet, & in his Micaëlem Sussinum, virum claritate generis & operibus erga patriam illustrem. Ipsam quoq; fœminam aut regno pellere, aut interficere statuit, omniq; studio & diligentia cum filio egit, siue conscientiæ pudore, siue animi furore adductus, vt illa depulsa aliâ in matrimonium reciperet. Sed apud filium cum plus valeret honestas quàm preces patris, Basilides ex furore in pœnitentiam versus (vt sunt omninò vani & instabiles tyrannorum animi) blandimentis cum suis agere, & singulos suppliciter alloqui cœpit, nunc commilitones suos, nunc suos amicos appellans, periculorum & operum omnium socios, nunc refugia salutis, & vnicæ præsidia commemorans; solos esse quorum virtute Liuones sint domiti, solos qui militiam patris auiq; sui sequuti sint, per illos se imperatorem factum, & immortalem gloriam ex deuictis Tattaris Turcisq; consequutum. Posthæc humanæ fragilitatis & semel in vita mortis memor trepido & anxio consilio munera ad captiuos omnium nationum

*in vincula miſit, rogans ſimul vt ſuam in-*
*columitatem aſſiduis precibus cœleſtibus*
*Dijs commendare vellent, id ſi alacriter fe-*
*ciſſent, libertatem ſingulis & optatum in*
*patriam reditum liberaliſſimè pollicebatur.*
*Sed tyrannum fera rabie & turpiſſimis ſæ-*
*uitiæ maculis infamem iuſto odio proſeque-*
*bantur omnes, in quo nihil humani præter*
*ipſam formam hominis eſſe ſciebant, qui*
*viuos homines medios ſecare ſolebat, qui pa-*
*rentes liberorum veſci corporibus cogebat,*
*cuius nomen meritò vniuerſæ rerum natu-*
*ræ inuiſum eſſe putabatur. Igitur eo nun-*
*cio, quo miſerrimæ lucis vſum & infelix*
*momentum vitæ tyranno ab DEO immor-*
*tali impetrare iubebantur, in lætitiam &*
*tacitam hilaritatem conuerſi, precati ſunt*
*ſummum DEI numen, vt hoc monſtrum,*
*cui extingui quàm ſupereſſe vtilius ſit, de*
*medio tollere vellet. Tu inquiunt, ô ter*
*maxime atque optime cœli pater, te im-*
*ploramus aque obteſtamur, ſine nunc tan-*
*dem vigilare oculum tuum vindicem, tua-*
*mq; iuſtiſſimam indignationem à ſcelere*
*noſtro auerte. Si enim numen tuum ſan-*
*ctiſſimum indigniſſimis aliquando flagitijs*
*offendi-*

offendimus, si irreligiosi, si petulantes fuimus, tuæ quæsumus clemẽtiæ filij tui merito nobis acquisito vmbraculo istam animi operumq; nostrorum impuritatem tege, quando pœnarũ nunc (vt speramus miseri) satis pependimus, quando aras, templa, & religionẽ nostram ille tyrannus euertit, qui nunc etiam ad vnam vitæ conditionem omnes redegit, qui stupris fœdatas coniuges nostras occidit, qui maternis gremijs superpositos infantes nostros in conspectu parentum aut ferro transuerberauit, aut palis infixit, aut parietibus illisit, & nos etiam inter ipsas crudelissimorum custodum manus hanc caducam corporis possessionem tantisper retinemus, donec vita nostra leui adflatu violantiæ concussa statim dilabatur. Tu igitur ô multùm benigne pater, tu his nos miseros vinculis & calamitatibus eximε, & illum tyrannum genus humanum cruentis in tenebris sepelire conantem dele; Illo enim viuente & furoris compote in suo statu mundus manere non poterit. Hæ singulorum preces, hæc vniuersorum suspiria, iste miserrimorum matrum & paruulorum clamor Basilidi, vt credere par est, fatum

maturauerunt. Morbus enim adeò vehementer demùm incubuit, vt putrescentibus inteſtinis & viſceribus, ipſa etiam naturalia teterrimo fœtore infecta ab animalibus quæ tabidis in corporibus naſci ſolent, laniarentur. Itaque cùm inter acerbiſſimos animi & corporis cruciatus cibo & potione infelicem & crudelem ſpiritum aliquandiu prorogaſſet, penè priuſquam opinari potuiſſet turbata ratione in fatalem horam & vltimam rerum lineam venit, ſed nequaquam tamen vulgari genere mortis abſumptus eſt. Nam paucis ante diebus quam è vita migraret, ter lethalem ſenſuum motuumq; ſtuporem & hebetudinem paſſus, quaſi reſeruata à Deo in eos dies impiorum flagitiorum pœna horas vigiuti quatuor continuas mortuo ſimilis iacuit. Prima vice expergefactus obducta & triſti fronte filium rogauit, vt quoſdam in arctiori cuſtodia ad vltimum ſupplicium aſſeruatos vinculis ſoluere vellet profeſſus palàm, ſe in quodam loco tenebris terroribusq; importuno propter eos grauiſſimis tormentis adfectũ eſſe. Quibus verborum terriculamentis permotus filius, iſtorum carcerum tecta ſtatim demolirì

iuſſit,

iuſſit, & per totam vrbem ſupplicationes dei creuit, precatus Deos, vt patris vitam, qui ob nimiam auaritiam & crudelitatem cunctis hominibus inuiſus eſſe cœperat, bono tandē fine claudere dignarentur. Captiuis etiam largiſſima manu pecuniam & alimenta dedit, libertatem præterea & honeſtam vitæ conditionem illis pollicitus, ſi ab ſummo rerum Domino breuem tantum iſtorum cruciatuum mitigationē Baſilidi impetraſſent. Potentior autē fuit ira Dei iuſtiſſimi, quàm hominum preces. Quippe tyrannus lethali pallore perfuſus & horrendum in modum fætens iterū exanimatus ante oculos circumſtantium ſine ſenſu iacuit, præſentiſſimūq; mortalibus alijs documentū dedit, homines impios & ſceleratos in vltimo etiam die eas pœnas rependere, quas viui et valentes effugerant. Inter hæc magnum in vrbe ſilentiū, magna rerū exſpectatio. Nemo quippe principis fortunam ſeriò fleuit; nemo moriturū viuere cupiuit; oſtenſam libertatem ſenes laudabant, patribus è carcere euaſuris filij gratulabantur; meliorem rerum ſtatum omnes ſperabant. Baſilides cum velut ab inferis excitatus iterū ad ſeſe redijſſet, ad filium

*conuerſus, exactiones, inquit, & vectigalia quæ in prouincijs ampliatis reditibus ſemper deteriora feci, abolebis, eoſq; homines quos bonis impoteneer exſui tuis regijs optibus ſubleuabis, & captiuis etiam ad vnum omnibus miſſionem & libertatem dabis. & has quidem vltimas preces meas apud te valere volo, nunc morior & Deos precor vt tibi terrarum omnium donent imperium. Hæc ille cum dixiſſet, in tertium lethargum incidit, nec multò poſt cum gemitu & miſerabili vocis reboatu animã efflauit, diſruptisq; ſtatim illis abſceſſibus qui pudenda occupárant, tanto fœtore ex profluente ſanie totam eam habitationem impleuit, vt adſtantes qui à peſtifera tabe infici nollent, plenis paſſibus eo relicto diffugerent. deceſſit vigeſimo octauo die Martij anno ſuprà Mill. Quing. octogeſimo quarto, vixit annos ſex & quinquaginta & ſeptem menſes. Vbi fuit in publicum de illius morte nuncius allatus, ciues ſe lamentis dediderunt, plangoreq; & eiulatu totam vrbem compleuerunt. Sibi quisq; ante oculos obſidionem, captiuitatem & hoſtes vicinos proponebat, iam ruinam ſui imperij, iam miſerri-*

ſerrimam ſeruitutem recordantes, magisq; omnes publicam, quam priuatam fortunam deflebant. Trigeſimo Martij die ex aula cum incredibili pompa fuit eductus, & exequiarum ſingulari magnificentia in templo Micaëlis maiorum tumulis illatus: eo fortaſſis vno beatus, quod eoſdem penates & regiam & ſepulchrum habuit. Corpus eius ipſo ſtatim die emortuali fuit deſideratum, nec deinceps à quoquam viſum aut inuentum; quod ipſum tametſi vix credibile multis videbitur; Tamen ego certè haud obſcurè ex relatione præſtantium hominum innixus teſtimonijs rem quidem rariſſimè auditam, ſed veram me commemorare ſcio. Eodem enim momento captiuis munera data ſunt, & ſeuerè illis eſt iniunctum, vt ab inuſitato fati genere Baſilidem vindicare, eiusq; corpus, quod inueniri iam non poſſet, aſſiduis precibus ad ſepulturam à Dei numine impetrare ſtatim inciperent, eo quippe inuento omnes optatam rerum omnium ſecuritatem cum libertate & muneribus accepturos. Quantam autem ira immortalis Dei & tantum cruciatuum morienti, & tàm crudelis vitæ finis homini im-

manissimo attributus erat, captiuorum quidem fictis supplicationibus nihil fuit effectum, & illi cum post non multos deinde dies in has terras magno numero aduenissent, rei veritatem præclaro suo testimonio abundè nobis confirmârunt. Atq; hic quidem est exitus potentissimi & crudelissimi Principis, quo maiorem ad vicinos reges atq; populos authoritatem terroremq; nemo habuit. Statura corporis fuit admodum excelsa, toto habitu succoso & pingui, & eo quidem per singula membra venustè commensurato, sed paruis & micantibus oculis, à barbara militariq; ferocia valde terribilis, & quod homines sapientes vehementissimè admirabantur, ad omnem fortuitæ vocis ictum effusè ridebat. Nam & quoties ingentem hominũ multitudinem miserabili strage edita fœdè & violenter lacerabat, toties ridenti simillis iucundissimo voluptatis sensu fruebatur. Naturæ beneficio admirabilem ingenij captum & memoriam rerum omnium singularem habebat, ità vt omnium captiuorum ex omnibus nationibus nomina exactissimè sciret & recitaret. Accidebatq; interdùm vt quibusdam libertatem & reditum

in patriam liberaliſſimè concederet: tùm ſi quem omni in numero paruulũ aut hominẽ vnum nõ inueniſſet, nec ſcribæ de amiſſo rationem ſtatim reddere poſſent, continuò eos aut ferro transuerberare, aut crudeliter mactare ſolebat. Quando enim miſeris bene ficium erat dandũ, quod tamen rariſſimè fiebat, tùm verò naturæ ſuæ propenſius indulgebat, & ad cumulandũ beneficium tota benignitate & gratiæ vela pandebantur. Libellos ſupplices ipſe inſpiciebat lectitabatq́, & humillimo cuiq́ fas erat iniurias deferre, & liberrimè conqueri de impotentia acerbitateq́ magiſtratuũ, qui contra conſuetudinem antiquorũ ſubiectos populos nulla moderatione vexauiſſent. conuictis vniuerſam patrimoniorum ſubſtantiã & vitam eripere ſolebat. Suos enim theſauros vbertate prouentus & maximis vectigaliũ reditibus amplificare ſtudebat; oderatq́ ipſe auariſſimus Princeps auaros homines, nec eos publicarũ rerum regimini adhibendos putabat, qui priuati commodi rationes nequaquam ſincera populorũ vtilitate reſpicerent. Terminos imperij libenter ampliabat, factusq́ iam ante bellũ Sarmaticum tantus erat, vt nõ tàm timeret hoſtes, quã timendas ipſe hoſtib. eſſet. Extero

rum

rum quoq; principum amicitias ad tuendam nominis sui dignitatem ambitiosissimè quæ rebat. Nam & Maximilianum II. Cæsarem in fauorem sui sollicitauerat, & Persarum reges Scachem Thamam, & Mahometem Hodabendum beneficijs obsequijsq; deuinctos habebat. Britannicæ autem reginæ adeò impensè fauebat, vt & cum illius legato in intimam familiaritatem recepto arcana rerum liberali fiducia communicaret, & magna ex parte consilijs eius regeretur. Nam is erat ætate atque oris habitu grauis, ingenio & facundia insignis, cultior rum etiam litterarum scientia & multarum rerum experientia perornatus, quibus virtutum dotibus apud immanissimũ Principem tantus euaserat, vt in belli pacisq; negocijs nihil omninò decerneret quod ad Pontum prius non esset delatum, in quo magnam vim rationis atq; solertiæ in expendendis absoluendisq; negocijs admirabatur. In secundis fortunæ flatibus mirum in modum animo efferebatur, & gloriæ ità cupidus erat, vt ea solum de caussa bella longè grauissima susciperet, & illud spectaret inprimis, vt sicut prisci quidem Heroes in

fama

fama celebrationeq; hominum esset. Igitur cum ab adulantibus Alexandri Macedonis titulo nonnumquam sauiatus fuisset, eiusq; vires corporis & animi magnitudinem pariter insignem dignis ad cœlum laudibus efferri audiuisset, captus inani cupidine tanti bellatoris acta superare, Elephantem quem nuperrimè à Scacha Thama Persarum rege dono missum acceperat, ità domare statuit, vt se cum satellitibus prætereunte genua confestim discereț incuruare. Itaq; multis mensibus eam consuetudinem diligenter obseruauit, vt rutilante primum aurora belluam in conspectum suum adduci, eiusq; frontem acutissimo ferro transuerberari iuberet, futurum ratus, vt tot cruentis ictibus admonita, venerationi Principis paullatim assueseeret. Sed in tàm dementi proposito muttùm, ac diu radiculè fatigatus, cum frustrà vestigium aliquod in bruto pectore sensus quæsiuisset, nec bellua maiestatis opinionem obsequio suo comprobaret, indignatione deinde accensus, in frusta eam discerpsit. Cum Maximiliano Cæsare fœdus & amicitiam firmare percupiebat, eum enim Principem esse dicebat exi-

mia

mia probitate constantiq; fide valde instru-
ctum, & super hæc opibus maximis longè po-
tentissimum, propterea in difficilibus & ma-
gnis rerum omnium perturbationibus fir-
mam omnino spem in illius amicitia repo-
nendam esse putabat. Sed dicebant tunc vi-
ri sapientes inter quasdam nationes tantam
rerum dissimilitudinem esse, vt prorsus ab
illorum abstinuisse commercio longè consul-
tius sit, quam arctissimis etiã adstringi fœ-
deribus. Nam & Germania à Moschis tam
procul dissita erat, vt etiamsi valde vellet,
barbaris tamen prodesse non multum posset,
& Moschicæ gentes adeò morosæ ac fædi-
fragæ & insolentes habebantur, vt etiamsi
in fidem receptæ fuissent, tamen inutiles vi-
derentur ad omnem amicitiam. Vltimum ad
eum legatum ad Comitia Ratisbonensia mi-
sit, quem Maximilianus in palatio aureo
fulgore resplendente, regibus & principi-
bus, qui illi aderant, stipatus audiuit. Lite-
ras Basilidis hilari fronte accepit, & de sta-
tu rerum Moschicarum cum summa humani-
tatis significatione multa quæsiuit. deinde
de Basilidis moribus, ætate, consuetudine, de
illius imperio, de filiorum numero perconta-

tus

cus est. Munera etiam, quæ legatus illi deferebat, accepit, & quàm grata essent, multis signis ostendit, seq; omnia constantis amici officia vicissim illi præstiturũ pollicitus est. Sed non multos post dies optimus imperator vitam cum morte commutauit, cuius interitus ipsos adeò legatos & vniuersos homines incredibili mœrore adflixit. Tanta namq; erat humanitate præditus, vt vtrum magis multi illius virtutem metuerent, an bonitatem amarent, esset explicatu difficillimum. Ita Basilides ingenti spe frustratus acerbissimè illius principis mortem tulit, nec multò post in belli Sarmatici Syrtes miserrimè impegit, eoq;, sicut antea memorauimus, ad finem perducto cum Stephano rege amicitiam coluit, cui nobilissimos aliquot Falcones cum venatoribus aurea veste indutis paullò ante mortem per Eliam Pilgrimouicium dono misit. Pacis tempore cùm in prouincijs omnia pacata & læta teneret vitam in venationibus, in alea, in choreis, in libidine atque cruentis spectaculis libentissimè traducebat. In venationibus autem diuersam ab alijs principibus consuetudinem obseruare

solebat.

*solebat. & hi quidem magnum saepe equorum & venaticorum canum numerum inusitatis sumptibus alere consueuerunt, vt equitatione varioq; motu corporis aut valetudinem tueantur, aut noxias etiam bestias de medio tollant, aut speratas culinae suae delitias inferant. Ille autem ab immani audacia truculentus interuenandum innoxios captiuos ferocissimis vrsis obijciebat, tùm si qui in frusta discerperentur, auidissimis oculis eam calamitatem spectabat: Alijs qui ferarum impetum fortissimè sustinuissent, munera in remedium calamitatum dabat. Itaque paucis ante mensibus quàm è vita discederet, vt inter acerbissimos animi & corporis dolores quadam iucunditate frueretur, multos ex captiuis vinculis solutos cum feris depugnare iussit, & ipse de fenestra in subiectos campos prospectans pugnantium fortunam & vires in laborioso multitudinis discursu libentissimè obseruauit. Inter hos Sarmata quidam inter eundum lapidem non magnum humo sublatum in manu gerebat, ad cuius conspectum cum portentosae magnitudinis vrsus impetum fecisset, ille lapidem in os immanissimae*

manissimæ feræ statim immersit, arreptaq; lingua fortitudo compendio eam penè exanimauit. Quod cum Basilides vidisset, admiratio in satisfactionem cessit, chariorémq; eum propter excellentiam tantæ fortitudinis habuit. Aleam pictarumq; chartularum ludum in delitijs habebat, cumq; aliquando subtilissimè & acutissimè cum magnatibus suis collusisset, victores pariter ac victos aut interficiebat, aut eos truncatis crudeliter membris, abscisisq; auribus ac naso; labijsq;, deforme ac miserandum spectaculum reddebat. Si qui autem vt eas contumelias declinarent, æquissimis animis se vinci paterentur, eos tamquam homines ignauos & hebetes fustuario & acerbissimis baculationibus subijciebat. Alij qui omninò ludum detrectarent statim sub specie insidiarum & contemptæ regiæ maiestatis occidebantur. Libidine cunctos mortales longissimo interuallo anteibat, nobilissimasq; fœminas & virgines per vim constupratas heris & parentibus remittebat; eæ autem si quam indignationis significationem forte dedissent, domi suæ suprà eas mensas suspendebantur, in quibus infelices

mariti & patres cibum capere consueuerant, quibus nequaquam alio in loco aut cœnare aut prandere impunè licuisset, nam alioqui in eodem calamitatem profando miserabiliter immersi violatæ principis maiestati pœnas morte pendebant. Certè si nihil aliud dignum sempiterna exsecratione gessisset; his tamen impijssimis sceleribus memoriam nominis sui posteritati deuouendam propinasset. Pellices & concubinas cum filijs subinde permutabit, ex his quadam ad Iuanū natu maiorem transmissa, cum ab alijs mulieribus verborum contumelijs adfecta & derisa esset, quod pudicitiam suam principis filio audacissimè prostituisset, illa indignissimè eam iniuriam ferens rem omnem ad principem multis cum lachrymis & quiritatu defert, eiusq; fidem & defensionem implorat, obtestando ne se in contemptu hominum versari patiatur, quando mox ab ista concione pœnitentia simul atq; infamia sempiterna miserè laborandum foret. Iuanus amicam importunis vexationibus circumuentam planè defendendam ratus, nactus occasionem opportunam proposito suo rem omnem patri commemorat, qui adeò ægrè eam

eam contumaciam tulit, vt nefario instituto omnes Moschouiæ ciuitatis fœminas propter scelus paucarum exstinguere cuperet, sed victus precibus suorum, multum quidem de ea seueritate remisit, & miseras tamen matres acerbissimis contumelijs onerauit. Quippe minis ac terroribus compulsas in aulam eas venire iussit, ibi in conspectu filiorum & satellitum vestibus exsutæ, nudibusq; & frigore asperè admodùm diuexatæ miserandum cunctis spectaculũ præbuerunt, & Basilides ad filij scortum conuersus, vtere nunc, inquit, isto voluptatis sensu, & calumniatrices tuas deride. Posthæc ex omni multitudine quasdã virgis cæsas exanimauit, earumq; cadauera feris lanianda dedit. Proditores & eos qui ignauius oppida arcesq; contrà hostium impressiones defendissent, longè exquisitissimis supplicijs de medio tollebat. Anno enim sexagesimo nono cum Lithuanorũ copiæ Itzburgum expugnassent, Basilides Polubensium arcis præfectum præsidiariosq; in Moschouiam reuersos arboribus deligatos iaculis transfixit, subinde adhortatus circumstantes, vt horum exemplo territi animosius pro

patria discerent pugnare. Alios etiam qui BOVSCVM arcem Lithuanis necessitate compulsi dediderant, ingenti pecunia redemptos eodem omninò supplicio delevit. Germanos primò ità amare solebat, vt non tantùm arcana rerum & reipub. administrationem magna ex parte cum illis communicaret; sed adeò etiā studiosè illos dignitate & muneribus ornaret, vt magnatibus suis vehementer exterorum hominum fortunā inuidentibus responderet, Germanos omninò istis muneribus & dignitate esse perornandos, quos cognouisset militaribus disciplinis liberaliter eruditos, & ministros principum valde elegantes, nec tamen esse vaccarū custodes vt Boiarij Moschici, qui moribus pessimis & corruptissimis in aulam aduolare consueuissent. Exosa enim habebat suorum ciuium ingenia, vtpote qui minùs cultis moribus exterorum consuetudinem frustrà imitari, & barbaram animi morositatem aduersante natura emendare conarentur. Inter eos autem qui nuper adeò ex Germanica natione apud barbarum Principem floruere G. Farensbegius, Ioan. Taubius, Elardus Crusius, & Christianus

*ſtianus ille Boccornius, Magni Cimbrorum Ducis Sacerdos, facile Principes fuere. Et Farensbegius quidem magna cum fortitudinis opinione felicem ſub Baſilide contrà Tattaros militiam fecit. Aliorum intempeſtiuus ex Moſchouia abitus, vt molliſſimè dicam miſeris ciuibus in Liuonia multo humano ſanguine conſtitit. Barbarus enim tyrannus iniquiſſimè ferebat, ſe ab ijs fuiſſe deceptum qui vanis verarum virtutum vmbraculis, ſubtiliſſimas artes incerti & parùm ſinceri animi peregregiè contegentes, tàm ingratè quam impiè fidem fefelliſſent. His de cauſsis multò ſuſpicacior & crudelior erat effectus, adeò vt ciuibus Germanicæ nationis quibus hactenus impunitatem conceſſerat, in belli pacisq; negocijs nullam omninò vel exiguam fidem habendam eſſe iudicaret, illosq; Dorpati & alijs in locis miſerabilem in modum plane inaudita feritate contrucidaret. Eos etiam qui in Moſchouia habitabant Germanos impotenter bonis exſutos ità ſtatim mulctauit, vt deſperatis honeſtæ vitæ commodis atrocioris quoque ſupplicij metu vehementiſſimè cruciarentur. Nunc qui in Mo-*

*ſchouia degunt Germani ex receti ſuperioris ſtatus recordatione hauddubiè aurea viuendi tempora nacti ſunt : omnibusq; florentis pacis atque opulentiæ commodis ad luxum beatiq; ocij lætitiam affluentes liberam etiam Euangelicæ doctrinæ profeßionem & Sacerdotem Germanicum à Thuringia oriundum habent, qui in magna quadam domo lignea ciues Germanicæ nationis pietatem docere ſolet. Nec enim memoriæ proditum eſt vllum hominem ab immaniſſimo Principe religionis ergò diuexatum fuiſſe. In ſolos tantum Iudæos maximam ſemper crudelitatem exercuit, eosq;, ſi ſacro baptiſmatis fonte lauari non vellent, aut viuos combuſſit, aut laqueo ſuſpendit, nonnullos etiam in flumina præcipitauit. Nam dicere ſolebat Principem ſapientem numquam fidem eis, qui mundi redemptorem prodidiſſent, habiturum. Nec vllum periculum eſſe magis timendum eo, quod à proditore compararetur. Eſſe quippe malum occcultum & inteſtinum, quod priuſquam præuideri poſſit, interimit. Igitur homines profligatos & perditos à ſe non dimittebat, ſed cum voluptate quadam ocioſos vltimis execrationibus*

bus deuouebat. Ex captiuis solos mitius tractabat Lithuanos, subinde eos fratres suos & vicinos appellans. Polonos autem & Germanos cæterosq; omnes omnium nationum populos intolerabili seruitute & acerbissimis conuicijs onerabat, nihilq; vehementius contendebat, quàm vt omnem calamitatem & aduersæ fortunæ omnia mala & incommoda paterentur. Viuens non diuinitatis tantùm, sed & summi Imperatoris & Pontificis Max. authoritatem apud suos habebat. Si qua de re grauiore controuersia incidisset, nec in expendenda absoluendaq; ea finis inueniri posset, dicebant illi DEVM & magnum Ducem rerum omnium momenta ponderare, & exitum nouisse. Ideoq; siue perperam aliquid siue laudabiliter feciſſet, id omne fato & prouidentiæ DEI accceptum referebant, & ipse etiam vt stolidis ingenijs dulcissima alimenta amplioris insaniæ instillaret, magna cum omnium admiratione cœlestium colloquia in quiete percepta in vulgus spargere solebat, suamque veneratione, quam apud subditos maximam

*semper habuerat, eo figmento mirabiliter multiplicabat. Sacra confecit, singulaq; ceremoniarum obiuit munia singulari cum maiestate, vt nec ipsi flaminos eo angustius & decentius sacrificasse dicerentur. De sanctorum hominum numero S. Nicolaum, Micaelem Archangelum, Eliam vatem, & Ioannem Baptistam religiosissime venerabatur, futurum ratus, vt post tot patrata facinora illorum intercessione ad Deum immortalem commendaretur. Græcæ autem ecclesiæ quamquam Latina puriores habentur; tamen & ipsæ multas adhuc vanissimas superstitiones obseruant beatamq; Dei genitricem & alios cœli Quirites frequentius inclamant, sicuti ea de re longiorem aliquando narrationem habuimus. Basilides si quando sacris operam dare, & statas solennesq; ceremonias obseruare vellet, continuò Alexandrouam iter vertebat, vt scilicet ab imperij curis liber animum ad res sacras expeditius reuocaret. Sciendum autem est Alexandrouam admodùm speciosam magnorum ducum habitationem esse, quæ à Moschouia ciuitate non amplius viginti quatuor milliaribus distat, & in formam*

mam magni alicuius monasterij pulcherrime est exstructa. Multa ibi magnorum Ducum, populorumq; visuntur munera, prorsus vt incertum sit, vtrum magnificentia thesaurorum, an maiestas religionis plus hîc admirationis habeat. Huc delatus Princeps Monachorum habitu & ipse vtebatur, & satellitibus quoque suis sacratas vestes dabat, à quibus non modo abstinentiam & pietatem, sed orandi exemploq; suo ieiunandi expeditum & vehemens studium exigebat, eos maximè perosus qui aut minus promptè iussis paruissent, aut importunis helluationibus sacrorum diem deformassent. Ipse interea legendi ac relegendi sacros libros absq; vlla fastidij significatione anidissimus aequè & patientissimus erat, adeò vt cum cibo parcissimè vteretur, & multis interdum horis in templo esset, omnium aliorum Monachorumq; oculos in exemplum actionum suarum opportunissimè conuerteret. Verum omnia ista nequaquam ad veram pietatem, sed ad ostentationem potius & rerũ pessimarum meditationem comparata fuisse, ipse exitus clarissimè demonstrauit. Quasi enim parricidia non iniu-

*eandiùs quàm ſacra peragerentur, ita finitis ſtatim precibus magnam hominum innoxiorum multitudinem immaniſſimè ſceleſtiſſimeq́ contrucidabat, damnatoq́ impÿſſimi conſiliÿ propoſito id in tota vita præcipuè ſpectabat, vt ab omnibus hominibus & conſanguineis & peregrinis & ciuibus tamquam præſentiſſimus carnifex vehementiſſimè timeretur; amabatq́ illam dirę immanitatis vocem; Oderint dùm metuant. Nec poterant apud Alexandrouam aliter ſacrę finiri, niſi quotidie renouata cæde viæ cadaueribus repletæ horrendum prorſus prætereuntibus ſpectaculum præbuiſſent. Sed ab his horridis & triſtibus parricidÿs, ad finem nunc tandem properemus, & iſtum tyrannum, qui omnia patriæ ſuæ ſola lachrymis, gemitu, cædibus, impleuit, qui violatis omnis amicitiæ fœderibus, pacem, leges, ſincerumq́ pietatis & officÿ tenorem ſubuertit, ſtygÿs tortoribus ipſiſq́ Diabolis, cruciandum relinquamus. Ipſæ verò religiones, araq́, cum illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illius interitu ſuum retinuiſſe. Sublato tyranno omnia fœda in Moſchouia obuenere.*

*Filiÿ*

*Filij enim sui natu minoris tutelam Bielsio Principi commendauerat, cuius familia vetustate, viris, atq; opibus erat insignis, quique ipsa regia authoritate multum poterat, & præsentibus etiam opibus pollebat. Is ingenio peracri & sæuo præditus, Moschos graue seruitutis iugum defuncto Principe excussuros facile præuidebat, omnesq; conatus & cogitationes suas ad opprimendum Phedronem siue Theodorum, quem regem æposcebant ciues, & ad extollendum pupillum intendebat. Huic tanquam præclara indole paternam hæreditatem adeunti multorum magnatum studia non deerant: illum verò mirifica probitas, & melioris animi specimen, atque item ætatis prærogatiua & ingentes opes ad tuendum regni nomen pares vehementissimè commendabant. Bielsius immoderata spe sua inductus, postquam animaduertit nonnullorum procerum animos vel creberrimis sollicitationibus in partes adduci nequiisse, & vigere in ingenijs subditorum vera & vetera odia aduersus tyrannidem, comitiorum euentum minimè exspe-*

*exſpectandum ratus, ad inſidias & dolos confugit, habitiſq; magnis militum delectibus res nouas moliri cœpit. Ea audacia ſollicitos & anxios reddebat Moſchos, qui mitiorem ſeruitutem iamdiu ſperabant, adeò vt Bielſium, ad quem magni militum concurſus fiebant, palàm perfidiæ compellarent, adapertiſq; ſenſibus arcana mentis proferre, rationesq; ſuas effuſius atque liberius commnicare inciperent. Querebantur enim pupillum & filium Baſilidis à Bielſio nutritio circumſcriptum, obſeſſumq; teneri, illigariq; nouis rerum conturbationibus, quæ ad minuendam conuellendamq; reipublicæ dignitatem pertinerent, crudeliſſimas recenſendo turbas quibus communis patria ſimili planè principio inexpiabiles iniurias accepiſſet. Ibi Bielſius cum magnam partem aulæ & nobilitatis ad promouendum Theodorum valde propenſam & inclinatam comperiſſet, & multi in libertatem prompti decora atq; ſalubria amplecti quàm vni homini parum ſecundè obſequi mallent, in quo vno priſtinæ tyrannidis veſtigia, & regni guber-*

*nacula*

*nacula viserentur, officij sui munus ingenti animo, & omni conatu implere constituit, euocatisq; beneficiarijs magnatibus, & amplioribus copijs paratis, quibus effrenes populos ad officium reuocaret, & inimicorum contunderet spiritus, occupata in vrbe Moschouia primaria arce cuncta prolibidine administrare & in vniuersum omnes contemnere irridereq; cœpit. Id verò minimè ferentes viri nobiles, & ingenio feroces, vt plerumq; fit in turbidis & repentinis casibus, consilium planè audax & successu longè fœdissimum capiunt, tamq; ad communem libertatem erecti in vnum coniurant, copias instruunt, & contrà Bielsium à quo expilati oppressiq; indignissimai paterentur, rebellant, eductisq; ex principis armamentario ingentibus tormentis arcem diuersis in locis vehementissimè conquassare incipiunt. Cum per multas horas vtrinque acerrimè esset dimicatum, & in arce multi passim interficerentur, præsidiarij & milites metu territi, alij alio habitu, atque itinere dilabuntur. Bielsius eodem animo arce egressus, dùm aufu-*

*gere*

gere contendit à ciuibus ſiſtitur, maximiſq; verborum contumelijs exceptus, admonetur, vt, ſi viuere velit à clauo reipub. diſcedat. Satis ſuperq; enim perſpectam eſſe omnibus Moſchouiæ populis eius crudelitatem, regnandi libidinem & inſolentiam, itaque indignum videri qui communem ſalutem regat, cum ad euertendam publicam tranquillitatem contrà patriam arma ſumpſerit; ſe & tùm legitimi Principis nomini parere, & perpetuò fidem ſeruaturos: ſed decreuiſſe populum Moſchicum nolle eas turpiſſimæ ſeruitutis compedes diutius perferre, quas auariſſimi & iniquiſſimi viri Baſilidis olim ſatellites nihil tale expectantibus hactenus innexuiſſent. Bielſius autem tranquillo vultu poſtquam ità neceſſe erat, armatis hoſtibus paruit, nec multo pòſt omni dignitate ſpoliatus libero exſilio ad Caſanenſes diſceſſit, & Theodorum Baſilidis filium, quem vnum maximè excluſum volebat, conuerſis omnium ſuffragijs ad ſummi honoris faſtigium prouectum vidit. Is per ſe quietis atque ocij amantiſſimus, & corpore ad equitandum geſtandaq; arma peridoneo

*done atque habili præditus, tanta humanitate atque munificentia singulos omnium ordinum ciues est complexus, & ità moderatè rempub. constituit, vt aquissima libertatis status, renouata felici illa veterum temporum conditione, reductus esse videretur. Sub id tempus à rege Polonorum Leo Sapieha, iuuenis nobilissimus in Moschouiam aduenerat, vt & munera Basilidi deferret, & reipub. nomine mandata quædam exponeret. Fuit ille ab omni nobilitate, & à magnatibus cum maxima significatione humanitatis satis benignè & comiter acceptus; Principes enim prioris inimicitiæ inuidiam postremò conuersis voluntatibus beneficio & muneribus abolere studebant. Sed cum interea Basilides diem suum obijsset, Sapieha modò in hoc modò in alio loco detentus tardissimis itineribus profectus est, donec rumor aduenisset Principem insigni pompa funeris elatum & sepultum esse. Tùm demum in vrbem & senatum perductus, in eos, quos diximus, crudelissimos, tumultus incidit; & primo*

*quidem*

quidem senatu scissis in duas partes magnatibus apud barbaros tantis turbis intricatos parùm effecit, tanto maiori molestia adfectus, quanto maius vitæ suæ discrimen in fœda rerum omnium conturbatione adÿsset. Paucis interiectis diebus Princeps haudubiè pœnitentia ductus, revocatum ad se Sapiehan patientissimè audiuit, ità vt præteritæ contentionis insaniam detestari, & regi Poloniæ præclarum maximè studium in rebus omnibus polliceri videretur. Sapieha deinde litteras ad regem fecit, quas ego Grodnæ vidi; & quibus ille barbari Principis mores exactè delineabat, docebatque simul quibus modis esset enitendum, vt Moschi in tanto rerum cardine omni imperio & dominatione exsuerentur. Cum hæc à Moschouia in Lithuaniam nunciarentur, Grodnam profectus eram, vt grauibus quibusdam de rebus serenissimi regis nostri sententiam coràm intelligerem, à quo cum clementissimè auditus & dimissus essem, fortè fortuna in legatum Turcicum incidi, qui nuper adeò Constantinopo-

*tinopoli aduenisse dicebatur Chanes ut erat Chiauses Mamaluchus à Transyluania oriundus, cui antea Eustachio nomen fuerat, & qui non procul ab Albæ Iulia inoppido Tordo multos annos Ludimagistrum professus, pueros in triuio docuit, id quod illustris vir, & regis per Transyluaniam Cancellarius Martinus de Berseuico præclaro suo testimonio abundè mihi confirmauit. Posteà desperatis honestæ vitæ commodis immane facinus abiurandi Domini IESV vecordi animo concepit, nec tantùm in seruitutem se tyrannicæ dominationis tradidit, sed & maximarum opum cupiditate Mahometis sectam amplexus est, prorsus quasi veram beatitudinem in diuitijs haberet, & cœlo non indigeret, quoniam abundaret auro. Ad eum visendum cum introductus essem, ergâ me quidem benignè & comiter omnibus humanitatis officijs est vsus, vtpote qui in Christianorum ditione humanitate vinci longè turpissimum esse*

iudicaret: sed minùs sincero animo de Christiana religione locutus filij DEI maiestatem ità verbis contumacibus oppugnauit, vt damnatas pessimorum hominum opiniones ad veterum blasphemorum imitationem studiosè defendere videretur. Vanissimis enim verborum lusibus vtens CHRISTI notionem homini prorsus in vtilem esse dicebat, cumq; ex Euangelio B. Ioannis Euangelistæ auream illam & diuinam nostri Saluatoris sententiam in medium adduxissem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum verum DEVM, & quem misisti IESVM CHRISTVM: Ille econtrà ea verba ità interpretabatur, vt diceret potentissimos in mundo reges bona sua per certos nuncios & ministros vendere consueuisse: Talem nimirum æterni illius regis seruum fuisse CHRSTVM, per quem omnes bonitatis suæ thesauros hominum generi promptissimè vendendos obtulerit. Nequaquam autem Dominum IESVM pro DEI filio habendum

*hendum esse, præsertim cùm totius noui Testamenti tanta sit incertitudo, & omninò constet Mahometem miraculis eo longè fuisse superiorem. Hæc dicens semper ab imo pectore ità creberrimè suspiria repetebat, vt facilè circumstantibus adpareret, eum grauibus esse curis exulceratum. Non dicam nunc quid mecum de inuocando vno DEO, de vera & falsa religione, de CHRISTO filio DEI, de Mahomete, illiusq; excellentia & maiestate, de beatitudine hominum sempiterna disputauerit, rem enim omnem alio peculiari volumine, cui Armeniorum fidei confessio erit adiuncta, referre aliquando constitui, vt nefariam & impiam hominum istorum superstitionem tamquam in luce manifesta positam vniuersi mortales cognoscant. Adfirmabat autem legatus se notissimis Christianorum in religione dissidentium tumultibus & odijs & discordia motum esse, vt CHRISTO abrenunciaret, ostendebatq; simul Christo-*

phori Varsauicij scriptum valde atrox & amarulentum, quod nuper ille in lucem emisit, & MARTINVM LVTHERVM cum Mahomete ità comparat, vt hunc illo meliorem fuisse arbitretur. Hos, inquit, libros vestrarum discordiarum & haresium testes, magni muneris instar ab authore ad me missos in Thraciam nunc asporto, Musulmannis meis fidei vestræ vanitatem certissimis rerum argumentis ostensurus. Post aliquot deinde dies epistolam Arabicè scriptam ad me Caunam misit, quam diligenter apud me seruo, Cuius exordium est: In nomine illius DEI vnici, qui in mundo omnes nutrit, sed in futuro seculo electorum tantùm miserebitur. Ad eum modum exorsus mox fidei confessionem suæ perscribit: Non sunt, inquit, Dij, sed tantum vnus est DEVS, ipse solus verus est: IESVS autem est Spiritus DEI vnici, & seruus DEI, sicut alij quoque Prophetæ fuerunt serui DEI vnius; Sed Mahu-

mad

mad est nuncius DEI vnius. Ex Adæ filijs autem si quis ità non credit, DEI vnius ex Prophetis nulli fidem adhibet.

Diximus de THEODORO Basilidis filio quomodo incredibili omnium ordinum consensu in publicis comitijs ab exercitu acclamatus sit Moschorum Imperator, frustrà repugnantibus seditiosis quibusdam in republica viris, quorum consilijs vti nimis ambitiosè temereque susceptis cæteri moderando ac differendo constantissimè obuiam semper iuerant.

Est hic annos viginti duos natus, in qua ætate ità moderatè de se multa pollicetur, vt adpareat plura eum experimentis reseruare. Vxorem habet Arinam Vdudouiam, ex qua liberos iam vtriusq; sexus suscepit. Dicitur esse ingenio ciuili & temperato. Facies eius natiuo candore formaq; pulcherrima est, veste thalassina auro & gemmis pretiosissimis intertexto plerumque induitur.

Regno primum inito ciuibus immunitatem multarum rerum præter militiæ vacationem dedit: Quo facto & metum timentibus ademit, & in spem sui omnes impulit. Peregrinis verò & carceris remissionem, & perbeatam illam rerum omnium securitatem largissimè pollicitus est, quam & præstitit. Ciuium inimicitias capitalis odij conciliatione edictoq; sustulit. Militem prætorianum (Aprisnas illi vocant) qui viuo patre immanem in omnes homines superbiam & crudelitatem exercuerant, statim etiam exauthorauit, & magnum fortassis in innocentia præsidium esse ratus, admodum paucos apud se corporis sui custodes remanere iussit. Inauguratus est apud S. Micaëlem tertio mense post patris obitum, qui fuit Iunij dies vigesimus octauus. Eodem momento tàm sæua tempestas excitata fuit, quantam homines ætate valde prouecta numquam meminerant.

Cælum enim nubibus tenebrisq;

densis.

denſiſſimis obductum horrendum in modum ita tonabat, vt eos etiam qui fortitudinis opinione celebres habebantur, magnoperè perterreret. Plurima quinetiam loca & templa de cœlo tacta fuere: inſperatiq; turbines arborum frontes decuſſere, & grauiſſimi imbres non vias tantum, ſed ipſas etiam ædes impleuere. Reddita tandem tranquillitate, conuerſo omine ex atro longè omnium candidiſſimus dies effectus eſt. Ridebant ianuæ ciuium feſta fronde & floribus, omnes ad priuatam lætitiam & publicam hilaritatem erant conuerſi. Tanta porrò hominum multitudo in vrbem confluxerat, vt niſi Principis ſatellites, qui vrbem armati & inſtructi cuſtodiebant, viam diſtrictis gladijs aperuiſſent, ipſe nouus Princeps ad templa minimè proficiſci potuiſſet. Interim omniæ tibiarum ſonitu, & tubarum clangore perſtrepebant.

Postquàm ad summi templi vestibulum peruentum est, magnates vniuersi, quos illi CNESOS appellant, Theodoro obuiam prodiere. In ipso templo homo grandis natu, bombycina veste ab humeris ad talos vsque demissa cultus, eum complexus est. Is erat Metropolita & sacrorum Princeps, cuius permagna est in ea gente authoritas. Tabulationes in medio templo ità erant instituta, vt aliæ super alias ad theatri similitudinem exstarent, & eminerent. Pauimentum erat pulcherrimis tapetis instratum similiter & parietes aulæis sericis auro intertextis obducti. Magnus Dux in scamno magnifice ornato sedebat, & pileum purpureum auro atq; gemmis distinctum capite gestabat: vesteq; bombycina, multis aureis fibulis secundum pectus stricta, erat indutus. Ex annulis manuum eximius gemmarum fulgor emicabat. Omnibus intromissis & silentio dato, sacrorum Princeps ad Theodorum conuersus, Domine, inquit, &

magne

magne Dux, & fili mi amantissime, iam immortalium Deorum fata quæ omni humana ratione vehementius impellunt, te in altissimo dignitatis fastigio collocarũt, non vt premas tuos, sed vt releues: non deuorator, sed patriæ defensor esse debes: æquabile ius omnibus dices, maximorũq; & optimorum regum exempla tibi sequenda propones. Pater tuus pericula in rempub. ingentia inuexit; tu virtute & armis pericula à tuis propulsabis: tu bonis præmia constitues, improbos pœna acerbitate coercebis; Patriam denique vniuersam & ab externis hostibus, et ab intestinis seditionibus tutam vigilantia tua præstabis. Id si alacriter feceris, nomen tuum, non in regione tantùm nostra, incluſum scilicet angustiis vnius terræ spacijs, verum etiam vbique terrarum ad perennem laudem tuam celebrabitur. Nos tui ciues superûm atque inferûm numina & regales Deos comprecamur, vt te multis felicitatibus circumfluentem tueantur, vtq; in te tua summa virtute re-

nascentis reipub. auspicia lati conspicia-
mus. Hanc orationem summorum & in-
simorum hominum lati clamores subsecu-
ti sunt, & statim sparsa est à quæstoribus
in promiscuum vulgus larga manu ar-
gentea moneta. Neque Theodorus mox
homines fefellit. Nam & Bielsium fra-
tris tutorem auari & peruicacis ingenij
hominem, qui Principis iussis nequaquam
parebat, in exsilio remanere iussit. Ad-
iecit deinde curam omnem componendis
magnatum controuersijs, & uno simul
tempore nongentos & triginta captiuos
vinculis soluit, quorum non paucos nobili
etiam genere natos & stipem rogantes
mea in domo habui. Pepercit etiam mul-
tis morti damnatis, quos properè fœdissi-
mo carcere eductos libertati patriæq; re-
stituit, hauddubiè alijs similiter veniam
daturus, nisi paullo ante patris iudicio da-
mnati peryissent. Eandem prorsus ani-
mi magnitudinem & benignitatem erga
discedentes captiuos protinus ostendit.
Nam & viatico liberalissimè eos per An-
dream

*dream Solcanum, Cancellarium ſuum proſecutus eſt, & ſingulos ſemper centenos, ne in tanta diſcedentium multitudine turbæ orirentur, incolumes vſq; ad regionis ſuæ fines curribus deduci iuſſit. His initis ſuſceptiſq; rebus, quum nihil ſibi vel tutius vel honeſtius eſſe iudicaret, ad renouandum cum Polonorum rege fœdus animum conuertit, quod adhuc quidem ex Dei clementia incorruptum ſeruatur, vtq; diu ſeruetur id verò ſummus & cæleſtis pater benignè velit. Nobis enim qui barbaros tumultus, vim, cædem, famem & vaſtitatem iam ſatis diu aſpeximus, perenni & aurea pace nihil vtiliùs, nihil optatiùs nihil iucundiùs eſſe poteſt.*

*Finis vitæ I. Baſilidis.*

VVITEBERGÆ

Excudebant Hæredes Ioannis Cratonis.

Anno M. D. LXXXV.